

*16138.*

COMPARATIO  
LIGATURAE ET RESECTIO-  
NIS POLYPORUM UTERI.

DISSERTATIO INAUGURALIS  
CHIRURGICA,

QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
ORDINIS INCLYTI MEDICORUM

IN  
ALMA UNIVERSITATE LITERARIA CAE-  
SAREA DORPATENSI,

PRO GRADU  
MEDICINAE DOCTORIS

RITE OBTINENDO

H. L. Q. C.

PALAM DEFENSURUS EST

F r i d e r i c u s V e h,

DORPATI - LIVONIUS.



---

DORPATI LIVONORUM.  
TYPIS J. C. SCHUENMANNI,  
TYPOGRAPHI ACADEMICI.  
MDCCXXXVII.

**I M P R I M A T U R**

haec dissertatione ea conditione, ut simulac typis excusa  
fuerit, quinque exemplaria collegio ad examinandos li-  
bros constituto tradantur.

Dorp. d. 3. m. Maii 1837.

**SAHMEN**, Decanus.

**Amico sincerissimo,**

**Fratri optimo,**

**C a r o l o**

**D174109**

ob multa in se collata beneficia

hasce studiorum primitias

d. d. d.

Auctor.

## Comparatio Ligaturae ac Resectionis virtutum.

Nemo profecto inveniatur, qui in dubium vocet, quin ea, qua nulla omnino operationis ratio et via ad extirpandos istos tumores, excultior est medicisque probatior, nempe polypi devinctio recentioribus demum temporibus a chirurgis inventa, altera agendi ratione, dico resectionem, heud parum aetate sit inferior. Namque dum illam anachoritum deinceps fecerit ad Fabricium ab Aquapendente (27), ad Abulcasin (1), ad Panium, Aegipetam (61), ad Aetium Amidenum (2), ad Celsum (16), ad Philumenem et Philoxenum (62), quin etiam ad Hippocratem (35) usque facile persequi possumus, uterinos polypos inde ab Ambr, Paracsi (59) demum, Moschionis (55), Avicennae, Guilleimi de Saliceto (39), Joanno de Vigo (84), Fallopiae (39), Dionisii (24), Heisteri (52), le Capi et la Faye (45), Puzos (63), Espagnet (26) paucorumque aliorum (72) aetate substrictos esse, pro certo atque noto habemus. Velpeau (83) autem rur-

sus, acriter Levreti illius (43) aliorumque sententiae repugnante Aetium jam et Philoteum cognitionem aliquam polypi devinciendi habuisse opinatur. Verumtamen haec ipsa viri unius sententia haudquaquam stabilis esse atque firma videtur, quum praesertim idem hic Velpeau, teste Kiliano (39), alia praeterea vitia, quae ad historiam ejusdem rei pertineant, in sese admiserit, ita ut, si quid unus solus contendit, auctoritate non satis probabili nobis esse putandus sit.

In diligentiore commodorum atque incommodorum, quae utriusque polypos uterinos extirpandi viae ac rationi insint, explicacione, duas simul vias intrare decrevi, primum medicorum auctoritates, deinde autem eam, qua ipse duco, opinionem afferendo; qua in re comparationem illam confidere statui ita, ut illa praecipue crimina atque opprobria accuratius perlustrarem, quae Dupuytren ille clarissimus (25), vel potius viri isti, qui illius preelectiones publici juris fecerunt, adversus deligandi rationem disseruerant:

I. primum igitur secundum ea, quibuscum conjuncta esset operatio, impedimenta atque difficultates;

II. tum secundum eos, qui inde semper progredi soleant affectus morbos;

III. denique secundum proclivitatem illam atque inclinationem ad morbos recidivos, quae illa plerumque relinqui soleant.

Sunt quidem praesertim Dupuytren (25), Paillard et Marx (40) et Horlacher (70), qui delegationi nostrae multo maiores conjunctas esse difficultates, quam resectioni contendant. Sunt autem primum incertae omnino minusque distinctae notiones, quae sub difficultatis verbo subjiciantur; tum argumentum illud, quo isti utuntur, nempe magna apparatus multitudine; satis, quanta insit operationi difficultatum copia declarari, falsum mihi omnino videatur insinuare; quum praesertim instrumentorum illorum, quae nova videantur, fundamentum semper et principium idem sit unumque, ac varias, quae instituta sint, immutaciones nihil aliud nisi sensim et paulatim progressas emendationes esse, haud ignoremus; quo accedit, quod omnia ligatoria instrumenta, ex quibus nullum forsitan omni vacuum est vitio, a medicis cum eveniti felicissimo adhibita esse, certum habemus cognitumque; caeterum usus et consuetudo ad opabilem bonumque exitum quam maxime conferunt, nonnulli enim chirurgi, quamquam instrumentis minus idoneis utebantur, tamen meliora efficient, quam qui imperitia sua vel optimo eoque simplicissimo instrumento uti nesciunt. E quibus igitur documentum haud mediocre nobis evenit facillimam esse operationem delegationis.

Harum difficultatum causa

- 1) partim in polypi morbo in universum posita esse potest,
- 2) partim in ipsa operatione,
- 3) partim ab eo qui instituat operationem, excitari,

4) partim ab ipsa aegrota proficiisci,  
5) partim denique in diversis polypo-  
rum rationibus cerni.

1. Est igitur gravissimum omnium in eli-  
genda curatione in genere non tantum, sed eti-  
am in operatione adhibenda in specie — dia-  
gnosin certam habere morbi curandi. Quam  
autem mancam adhuc et imperfectam cognitio-  
nem habeamus multarum affectionum morbosa-  
rum organismi et quam saepe accidat, ut partim  
symptomaticam agendi rationem, partim experi-  
entes varia adhibeamus remedia, id sine dubio  
quisque medicorum sincerus et veritatis amans  
saepius sibi etiam elaxisse, confitebitur. Si igit-  
ur in plerisque de re nostra conscriptis operi-  
bus diagnostica uterinorum polyporum signa ex  
theoria distincte et accurate exposita sunt, atque  
nosmet ipsos de signis characteristicis, quibus  
praecipue et propriè hic uteri morbus ab aliis  
ejusdem organi affectionibus distinguiatur, certis-  
simos factos esse opinamur, haud dubie si ipsi  
medicinam exercebimus, nonnunquam, quam-  
quam raro admodum, nobis occurret, ut omnis,  
quam adhuc collegimus, experientia nos desci-  
nat deseratque. Quamquam igitur negari non  
potest, ejusmodi causus saepius scientiae inopiae,  
usus et animi attentionis et singula quaeque  
distinguendi indolis defectioni posse adscribi,  
attamen si ejusmodi — errare humanum —  
maximis etiam medicis Hauck, Kluge, Siebold,  
Rust, Gooch (30), Klingsberg (41), Ansiaux (3),  
Rigby (30), (quorum virtus et bonitas satis su-  
perque ex theoretica non modo, sed practica  
etiam vita elucet,) accidisse, diligentius reputa-

veris; ei deinde, nota adhuc distinctionis signa  
variarum uteri affectionum haudquaquam omni-  
bus singularibus propriisque casibus adaptari  
posse, et jam antea, ut medicum ab omni erro-  
re et dubitatione liberarent, satis considerari,  
etiam atque etiam contemplatus fucris, facile e-  
rit ad intelligendum, posse et debere nobis  
quodque, vel maxime exile remedium ad dia-  
gnosin constituantem valde esse exoptatum ac-  
ceptumque, dummodo ne damni quid afferatur.  
Eiusmodi autem remedium nobis praebet ipsa  
operatio deligationis in iis casibus, in quibus  
uterini polypi malum difficillime ab inversione  
chronica distingui possit, atque haud dubie  
multo est anteponenda alteri — resectionis metho-  
do; quum dubiae et ambiguae notae ita omni-  
no certae evadant et exploratae, simulaque ae-  
grota deligationem tolerare potest vel nequit  
(70, IV, 3); quum praesertim non difficilior sit  
laqueum solvere quam fieri non potest, ut cor-  
poris pars jam abscissa possit restituiri. Hauck  
hanc ligaturas praestantiam maximis laudibus  
effert et Velpeau etiam auctor est, ut in ancipi-  
ti casu, priusquam excisio perficiatur, ligatura  
adhibeatur. Carus (13) virtutes dicit maximas  
esse ligature, quae deinceps resectioni, si non fir-  
ma omnino et certa est diagnosis. Meissner  
(52) etiam, qui uti nonnunquam in praxi sua  
aliam aliquam rationem adhibuit, quam deliga-  
tionem, ita semper felicissimo eventu incepitum  
coronatum videbat, hanc methodum hoc in ca-  
su, tamquam utilissimum et securissimum simul  
ad removendos polypos remedium etiam atque

etiam commendat. Armingium (40) eadem esse opinione scimus.

At ex altera etiam parte deligatio diagnosticum remedium potest haberi. Ex multis enim locis cognoscimus, polypos nonnunquam, quorum pediculus sit tenuis, tendinosus et fibrosus, multas ob causas, quae infra erunt exponendas; praecipue ad resectionem esse idoneos. Evidem etsi haudquam ab hac me alienum esse contendeo, tamen hanc tantum quaestionem obiectio, quonam modo omnibus in casibus rectam cognitionem hujusce amplitudinis et densitatis polyporum pedunculorum consequi nobis licet; plurimis quidem in casibus hoc exploratio interna, manu facta, non ita difficulter procedit, sed non semper hoc fieri potest, praesertim si polypi magni sunt, totumque vaginae canalem implent; quomodo si res se se habet, nulla alia nobis superesse videtur ratio cognitionis parandae, nisi quod ligaturae instrumenta, haud ita amplum spatium postulantia immittimus, quum ita per laqueum, qualis sit radicis circinus facile destinari possit, indeque spissum tendinosumque polypi pedem cognoscere licet; quod laqueus eum mox persecare non potest; qua in re hac etiam a parte utilitatem magnam comparat, quod eo polypus detrahi et resecando accommodari potest.

2. Sin autem singulatim operationis viam et rationem contemplemur, dubitari non licet, quin tota acutorum instrumentorum tractatio in angustis vel coarctatis humani corporis cavis, in resecandis polypis propter violationem atque laesionem vaginae, recti intestini, vesicae urina-

rise vel ipsius uteri, quae perniciose et noxiae, quin etiam omnino mortiferae esse possunt, majoribus profecto pluribusque conjuncta sit difficultatibus et impedimentis, quam operatio iis perfecta instrumentis, quae, sicuti omni acie, omni mucrone carent, ita nonnisi propter applicationem, diutius durantem incommodebat aliquam vel medico vel ipsi aegrotae possint excitare, quae vero ejusmodi est, ut nunquam in ipsa operatione sit impedimento. Secundum Ringe (67) usus cultri non minus dissuadendus, quam extirpatio cauterii ope. E contrario manifestum est, majorem omnino securitatem et periculi vacuitatem conjunctam esse cum deligandi ratione. Possit fortasse hoc loco contra dici, Dupuytren illum forcipe polypum detraxisse, et postquam externam vaginae aperturam superasset, forifice abscidisse, itaque quum egisset, omne omnino remotum fuisse periculum; at, etiamsi illius rei rationem non habueris, quod si polypus detrahatur, maxima saepius commoventur difficultates, neque forsan id fieri possit, quin aegrotae valetudini noceatur (70, IV, 3) (8), quod deinde gravissimae distortiones dolores aliae nervosa symptomata et inflammations etiam excitantur; etsi non respexeris, nonnullis in casibus, propter non facilem polypi mobilitatem propterque enormem amplitudinem et repugnantiam polyporum (25) fieri omnino non posse, ut ad genitalia usque externa polypi producantur et insertionem manus (54) ad petiolum usque semper sere necessariam operationi impedimenta objicere atque in polypis amplioribus radiceque altius haerente omnino

impossibilem esse, — eti igitur, inquam, harum rerum rationem non habueris, id tamen in memoriam mihi est revocandum, quomodo peritisissimi etiam Sieboldi discipulus et adjutor, Mayerum dico (46), tali praecedenti attractioni (a cl. Herbiniaux, Zang, Dupuytren, Osiander, Siebold commendatae) approbationem suam non impertiat, sed eam noxiā potius vel inutilem certe ducat. Meissner deinde clarissimus (52) hanc putat esse gravissimam caussam, resectionem vetantem, quod polypus maxima vi sit extrahendus ex vagina, alias autem resectione perpetrari non possit, quia culro in spatio angustiore cavi vaginæ non utendum sit. Ad haec autem Simson (79) respondet: „culter numquam est „adhibendus, sed quidem forsex et quod ad „spatium attinet, quomodo quae eo obstetricatores „concisionem infantis perficiunt.“ Experiencia certe docet laesiones hac operatione quin graviores effici posse quae tamquam maximum opprobrium ei objiciuntur, nihil tamen minus Simson hoc certe omnino omisso videtur, partus tempore, propter auctam et exaltatam vitam et vim systematis uterini, quae ad ipsam etiam vaginam extenditur, effectam laxationem et extensionem partium molliorum, quamquam adsunt infantis partes, tamen plus spatiū praebere, quam in statu satis rigido in uterino polypus. Quod deinde attinet ad adhibenda acuta in hac operatione instrumenta, id prae ceteris erit respicendum, artem obstetriciam, nostra quidem aetate in eo collocatam esse perfectionis gradu, ut sine dubio omnino mox illa operatio e remediorum copia ejiciatur.

Tum vero Dupuytren ejusdem opprobrium non minus falsum videtur inaneque et nonnullis tantummodo instrumentis adaptatum, quod ligatura nempe non totam polypi radicem complectatur, quum bene sciamus, in alio casu non fieri posse, ut funiculus circum polypum traducatur, nisi quum polypi in uteri fundo haereant, ubi uterue ipse adhuc super pelvis aperturam superiorē sit positus, et os simul uteri sit conclusum. Hoc autem omnino repugnat artis op̄i in universum, neque ligatura: incommoditatem in specie demonstraret, quum praesertim eadem ratione, ne dicam magis etiam difficilis sit et ardua via resectionis; quibus in casibus saepius jam accidit, ut mortem aegrotia occumberet, quia polypum nondum maturatum assequi nona licebat.

Deinde, uti contendit Dupuytren noster, difficillima omnium deligationis pars, etiamsi polyporum sedes volumenque operationi ipsi difficultates non obiciat et impedimenta, ea potissimum esse dicitur, quod arduum est filum ad eam, quia sequuntur sit, altitudinem ferre, ut pediculus quam proxime ad locum insertionis in uterum possit devinciri. Hujusce ultimae rei necessitas qualis sit, ut intelligatur, lectorem benevoluerit ad ea, quae in hiace paginulis sequuntur, remitto; quum effici illud omnino posse ipsas ijsq; experientia clarissime demonstretur, sicquas pseccopus Backillius (74) causas declarat, qui polypum etiam in spacio adhuc credo haerentem, prospere substrictum esse narrat. Quanta autem hac etiam a parte sententiarum varietas inter eruditos inveniatur, legere

nobis licet apud Boivinam et Dugès clarissimum (8), qui, quum utrumque operationis genu difficultatibus haud parvis conjunctum esse contendant, id certe maximum commodam eligaturam percipi, quod illa in casibus etiam quibusdam, ubi resectione omnino adhiberi non possit, facile uii licet; quum instrumenta, propter ambitum nou tam amplum facilius possint immitti, quam culter vel forse, quum deinde, quia longitudine sunt haud mediocri, altius inferri possint ac propter eorum virtutem, qua non violent laedantque haec ipsa manipulatio omni sine periculo procedere possit. Eadem sententiam etiam Richter (65) fert cum Rustio (69, XIII), Boyer (9) ac Rahlff (31).

Aliud adhuc a Horlachero (70) dicitur, ut resectionem facilitate, difficultate deligationem excellere demonstretur; nempe, quod illa, quominus perpetretur, ne tenebris quidem et caligine possit impediri, posterior autem methodus modestiae legibus repugnet, quia aegrotam nudari necesse est. Medicus autem, qui partantium sese adjutorem profiteatur, oculos in primoribus digitis habeat oporet atque si deligationem ita explorationem ocularem flagitare contendunt, equidem profecto, quomodo resectionis methodus eodem in casu illa carere possit, omnino me non intelligere, ipse confiteor. Nostrae quidem aegrotae ita operationi subjectae sunt, ut oculorum usus necessarius non esset. Altera autem opinionis pars, ut Hauck (70) dicit, nihil aliud sit, nisi verba inania; nec enim est omittendum, leges esse scriptas, quibus

omnes medici in jus vocentur, ut factorum rationem reddant et puniantur, si, ne eam quam erga sexum sequiorem ostendere debeant, modestiam violent, veriti, oculorum usum repudiarerint ideoque graviora admiserint vitia.

3. Difficultates deinde, ad chirurgum ipsum pertinentes, plerumque inde proficiisci solent, quod alterius utrius operationis viae rationisque imperii sunt et rudes. Quum autem insitari non possit hoc opprobrium ejusmodi esse, quod in quemque medicum in omni operationis genere possit jactari, injuste isti fecerunt, qui illud deligationi tantummodo crimini dandum esse censuerint. Auamen ex magna eorum, qui huic operationis generi praeceperint experimenta, primo jam in viventibus hanc operationem felicissimo eventu perpetrataam esse, haud ignoramus. E contrario autem ex iis, qui resectionem illam potiorem esse velint, medicis principes illos clarissimos Osiander, Dupuytren, Siebold, Velpeau nobis licet nominare, quos in hac etiam operationis ratione magna, quam usu et consuetudine et occasionibus sibi pepererunt, arti et peritia non destituerit. Nec vero ubique homines ejusmodi praeclarissimi reperiuntur, et praeterea videre licet, eorum, qui adhuc resectionem adhibeant, medicorum multitudinem, non ita magna esse et singulos tantum hujus generis causa expertos sese esse, haud uegent. Praeterea

Sabatier (71) hanc etiam afferit rationem, quod non pauci inveniantur, qui inviti et minime liberter, acutum instrumentum ad eas corporis partes admoveant, quarum altior situs, ne oculis cernantur, prohibeat.

4. Quod deinde ad eas, quae ab ipsa aegrotate commoveantur difficultates pertinet et impedimenta, primum mihi ferorum quaedam alienatio adnotanda videtur; quum plerumque fieri solet, ut iam ideo multo facilis aegrotae deligationem patientur, quod non eundis, non forcipibus aliisque secantibus instrumentis deterrantur. Qui metus etiam si, quin inanis omnino vanusque sit, hanc dubitare velimus, tamen, quia accuratum atque justum eorum, quae utrumque operationis genus praebeat, commodorum atque incommodorum iudicium ferendum est, omitti haudquaquam debet.

5. Devenimus tandem ad locum ubi, quomodo difficultates et impedimenta, exstirpatione polyporum uteri conjuncta, in diversis eorum ipsorum rationibus fundamenta sua habeant, diligentius consideretur. Hac quidem a parte Dupuytren ille clarissimo sequentia gravissima esse videntur, quae contra deligandi rationem afferantur. Dicit enim: „illius autem unus secundum associatorem maxime studiosorum opinionem semper excludendus est, si polypus ex mera uterina tela compo- situs sit, si pedunculus singulari modo latus inveniatur; quin etiam omnino institui non potest, si polypus vel adhae- reat vel magno sit volumine. Nihil

„autem excisionem hic vetat; quin immo illa est methodus, quam unam possis adhibere.“ Quis autem ex eorum multitudine, qui studiosissime deligationi faveant, in Dupuytren ejusdem sententiam jam discesserit, ille non laudavit, neque equidem, quamvis omnia, vel plura certe de hac re composita opera legerim, neminem tamen qui ita egerit, invenire potui.

a. Polypos ex mera uterina tela constantes nullos alios dici, nisi qui sint fibrosi, verisimile est. Contra Roche et Sanson (68), Bayle (22), Dupuytren (25) aliorumque sententiam pugnans, Meissner ille doctissimus (52) tumores fibrosos vel corpora fibrosa, singularem quandam et propriam uteri affectionem esse existimat, quum praesertim apud ea characteristica sanguinis profluvia non animadvertantur; idem contra Velpeau (83) etiam dictum sit, qui tria fibrosorum polyporum genera constituant: primum nempe eos, qui quasi velamento, interiore uteri pariete facto, includantur; tum eos, qui homogenei, incani, densi, tamquam uterinae telae continuatio sint habendi et si denique, qui partiali organi hypertrophia proficiantur. E contrario autem Meissner cum Wattero (85) et Kiliano (39) in eo consentit, polypos coli et uteri oris maximam partem rigidos esse et fibrosa natura et equidem etiam infra explicare conabor, in hisce, propter eum, quem habeant, situm, proptereaque quod instrumentis faciliori sint aditus, propter vasorum sanguiferorum defectionem, propter majorem radicis tenuitatem, ac denique propter minorem amplitudinem.

nem ligaturam resectione esse omnino inferiorem, etiamsi, hanc etiam prospere adhiberi posse, handquaque negandum esse putem.

b. Quod porro ad latam radicem pertinet, quae, ligaturam non ita salubrem habendam esse, confirmat probetque, omnia profecto, quae unquam peritissimus quisque experientia cognovit, repugnare prorsus videntur. Walter (85), quo propius ad uteri fundum haeserint, eo latiores plerumque polyporum radices inveniri, contendit. Kilian (39) idem ita explicat, ut polypos dicat, si ab iis, qui os atque collum uteri teneant, discesseris, longe non esse tam tenuibus pediculis praeditos luxuriantes tumores. Hauck deinde testatur, pediculum eandem habere ad totam polypi amplitudinem rationem, quam 1 ad 3; secundum Armingii autem sententiam eandem quam 1 ad 2, et it deinde, qui uteri fundo adhaerant, diametrum interdum haud mediocrem pedis sui habere dicuntur; quo accedit, quod, sicuti Walter usu atque experientia sua est edoctus, fundum uterinum tenentes polypi, laxi sunt et condensati, nec vero rigidi ac fibrosi, quales plerumque in uteri collo cerni solent. Secundum ea, quae experientia Dupuytren ipse cognovit, polyporum arteriae lumen habent relativum ad totius polypi magnitudinem; certum autem habemus atque exploratum, crassissimos pediculos apud maximos reperiri polypos: simplicissima igitur logica conclusio, nempe crassissimos semper polyporum pediculos maxima etiam sanguifera vasa contineare necesse esse, et profluviorum sanguineorum periculum ac discrimen, quo majore sit polypus

amplitudine, eo magis augeri, profecto, ut mea quidem fert opinio, novum nobis proponit documentum, quo, sicuti alii etiam, qui ligaturae faverent, medici censuerunt, resectionem non ita bene in polypis, latiore basi instructis adhiberi, satis confirmatum videmus probatumque. Carus (13) quidem, polypos, latiore basi praeditos in steatomata vel sarcomatia immutari arbitratur; quod autem hujusmodi polypos operationi subjici omnino non posse contendit, non ita verum esse rectumque, multorum aliorum experientia satis docemur; namque polypi, laxo parieti inhaerentes iisque, quorum basis adeo sit lata, ut vasa majora iis inesse suspicemur, a Schmidt (73) etiam, Burchard (10) aliisque, qui summo ardore ac studio resectionis patrocinium agant, deligatione removendi esse creduntur. Hauck (l. c.), qui in universum deligationem resectionis methodo anteponere videtur, quin apud tenuiores pediculos resectio usurpetur, haud quam repugnat. Richter (65) ac Bell (6) tenuorem radicem, ut resectionis methodo utamur, nobis graviter dicunt imperare. Meissner (52, V.), quem semper sine studio et ira res dijudicare scimus, apud latiorem basim ligaturam, ob majorem, qua gaudetur, securitatem multo potiorem habendam esse contendit. Mayer (46) item, si lata sit polypi radix, ut deligatione utamur, vehementer est auctor. Kilian vaginae polypos atque inferius haerentes uterinos polypos eosque, qui nou ita magno sint pediculi circuitu aptos existimat et accommodatos esse ad resecandum. Apud ipsum adeo Siebold

(76), qui uti et Hervez de Chégoine (34) omnibus semper in casibus ligaturam resectione inferiorem dicit, legere licet, hunc virum peritissimum, seu polypi in fundo haererent, seu in corpore, seu in uteri collo, tamen semper censuisse, si propter nimiam baseos latitudinem, quacum polypus vel in fundo vel in corpore haeret, fieri non posset, ut resectio adhibetur, constringendo pediculum posse conformari polypumque infra ligaturam resecari, ideoque baseos latitudinem etiam ad verae resectionis contraindicantia adnumerare. Secundum Richerand (65) illius, rerum peritissimi hominis opinionem, forfices usus in chirurgia tunc tantum potest admitti, quum pars, quae est apprehendenda, tam tenuis est, ut statim eam persecat; crassa autem radix saepius persecanda, magis comprimeretur quam secaretur et forfex certe retro cederet, relaberetur, nam uti Richerand asseverat curvatae forfices non tam aptae sunt atque idoneae ad secandum, praesertim in earum parte extrema.

Quamquam igitur equidem, haudquaquam, deligationis associatorum opinioni assensu, nimis graviora sanguinis profluvia timeo metuoque, tamen altera quadam ex parte, apud basim latiorem parasitorum necessariam omnino ligaturam esse exponendum mihi fore censeo. Richerand (64) quidem non ita difficile esse censet arduumque, fibrosos polypos a vivacibus atque fungosis distinguere, nec vero, quae hac in re notae nos adjuvent, verbo attingit; ita ut vero omnino habenda ea, qua Meissner (52) ducatur, opinio cuius veritas experientia etiam

confirmatur, nempe saepissime occurrere, ut polypi cum vivacibus atque illis, quas Clarke (17) nominat, Brassicarum bothrytidum plantis (*Blumenkohlgewächse*) immutentur; quo si decepti fuerimus, resectio instituta eo magis noxia erit et perniciosa, quod isti fungosi, omni sensibilitate carentes, lata basi inhaerentes tumores ex aggregato vasorum consistunt ideoque sanguinis profusionum, nonnunquam vehementiorum ansam tribuunt, dum, si ligatura usus fueris, corrugantur, etiamsi post operationem iterum solent succrescere.

c. Si igitur nunc ad polyporum adhaerentias cum cavo, eos circumdante, accuratis contemplanda pervenimus, Dupuytren illum et Sabatier impedimento eas esse, quomodo fiat delegatio, instanter contendisse videmus. Haec autem in universum vel perraro tantummodo reperiuntur, uti etiam non desint nonnulli, qui ea exstare omnino insitientur, sicuti Boyer (9), vel, etiamsi cernantur, haud dubie, quia infirme potius conglutinationes, quam concretiones appellandae sunt, sine ulla difficultate possunt amoveri, ceterum vero in utraque operationis ratione moram hoc atque impedimenta offerret, ideoque haudquaquam soli ligaturee criminis dandum erat.

d. Quod porro Dupuytren cl. insolitum polypi volumen, contraindicationem habuit deligationis, valde mihi mirandum videbatur, quum praesertim ipsi aliquando accideret, ut hanc ob causam non satis certum haberet atque exploratum, quinam esset insertionis locus; quo adductus est, ut, postquam ligaturam quam al-

tissime applicaverat, dum demum resectione ute-  
retur, ut igitur illam quasi diagnosticam quan-  
dam rationem adhiberet. Postea autem ab ipso  
hoc viro, ut in polypis tanto praeditis volumi-  
ne, ut foras extrahi non possint, vel posterior  
commissura incidatur, vel forcipis ope polypus  
comprimatur, etiam atque etiam commendatur;  
illud autem, ubi spatium sufficiens habet instru-  
mentum, ligature adaptatum, haud dubie eo  
magis potest induci. Paillard deinde atque  
Marx (40) in amplioribus polypis ipsum uteri  
os incisum esse volunt, minime tum autem deli-  
gationem usurpandam. Ringe (67) hac quidem  
a parte sic contra dicit: „neque magnitudo po-  
„lypi ligature impedimentum est; nam etiamsi  
„adeo accreverit, ut pressionem exerceat in os  
„sa pelvis, ab his ad descensum e pelyi cogitur.  
„— Est ita radix ejus semper libera et ligature  
„applicatio facillima.“ — Boyer in enormibus  
polypis, ad quorum deligationem nullum omni-  
no instrumentum ad eam usque, quam par sit  
atque aequum, altitudinem immitti possit, Bau-  
delaque illius sententiam secutus, auctor est, ut  
artificiosa praecedat inversio; in parvis autem  
polypis, secundum eundem, statim post ligatu-  
ram institutam amputatio est adhibenda, in ma-  
joribus extemplo resectionem usurpare, minime  
est dubitandum. Illa vero in artificiosa inver-  
sione manus simul ac forceps erunt injiciendae,  
quod sine dubio multo difficultius efficere licet,  
quam si utraque fistula ligatoria sit immittenda;  
quo hoc etiam accedit, quod propter ejuamodi  
amplitudinem, quam animo vix fingere liceat,  
impedimenta quoque occurruunt in educendo

quae tanta nonnunquam esse videntur, ut effici  
illud omnino non possit. Haec igitur res atque  
quarta, quam Sauter (78) laudavit, morbi obser-  
vatio me quidem ad singularem quandam, quae  
cum deligatione conjuncta sit, virtutem anno-  
tandam commovit, quae in nonnullis casibns  
silentio praeteriri non potest; namque si magni-  
tudine sit polypus haud mediocri ea, quae ligat-  
uram subsequitur, decompositione hic minor  
redditur, laxus atque flaccidus ideoque, etiam si  
forcipis ope nec ita facile extrahi possit, tamen  
nunc primum ita agere licet; e contra vero, si  
resectionis methodum usurpaveris, fieri illud non  
potest, quoniam illa polypi magnitudo impedi-  
mento est ejus extractioni operationem ipsam  
antegredienti. Excisio igitur omnino omittenda  
esset et aegrota morti submittenda, quod claris-  
sime nobis infelici isto et improspero clarissimi  
Velpeau casu (83, p. 443) probatum videmus. —  
Quod deinde fieri potest, ut dissolutionem ante-  
grediens intumescencia polypi symptomata pro-  
voct graviora, vel augeat admodum atque inter-  
terdum in periculum etiam ac discrimen adduc-  
cat, haudquaquam nobis contra laquei applica-  
tionem dicere licet, quum praesertim simplices  
illae scarificationes in tumorem et defluxus hu-  
morum stagnantium, polypum ad id, quod ante-  
teia utique habuerat, volumen reducerent. Siu  
autem de hac, de qua sermones feruntur, poly-  
porum ratione, quasnam viri, medicinae artis  
peritissimi, unquam habuerint opiniones, dili-  
gentius consideravimus, facillime videbimus,  
Hauck nostrum (70), ut excisio, nisi tenuiores  
sint pediculi, in parvis tantummodo polypis ad-

hibeatur, auctorem esse; suadet quidem, ut, si majores sint polypi, facta jam deligatione, sectio ista adhibeatur, at qunt isti nihil aliud, nisi vaginae polypi, illique tenui pedunculo inhaerentes. Carus (13) ligaturam, praesertim si magnitudine sua polypi excellant, usurpatam vult et (77) sese in enormi adeo polypo uterino ligatura methodo usum fuisse enarrat: quippe qui manus jam insertioni magnas objectas difficultates videret, atque sectionem, manu non ducente, facere eo magis alienum esse ineptumque inteligeret, quod vaginae parietes circa polypum eodem modo, quo nucleus fructus putamen vestiat, intenti essent atque si forfex vel paululum admodum a recta via aberraverit, haud parum violari laedique potuissent. S. Cooper autem (19), a quo ligatura methodum ad extirpandos polypos uterinos maxime accommodatum putari apumque, haud ignoramus, invenisse sese dicit, semper, quamvis amplius fuerit polypus, tamen satis loci remanere, per quem instrumenta, acie omni carentia, immittantur. Schreger longius mihi progressus esse videtur (75), utpote qui, maximos polypos, quo facilitor esset aditus, forcipis obstericci ope extrahendos esse arbitraretur, ut exirsecut posse substringat, quo factio, profectus inde uteri prolapsus postea demum reponeretur, qua quidem de inversione, ex industria effecta, quid esset judicandum, postea, lectores vobiscum communicabo. Patrix (60) deinde, ut excisio in polypis non tam magni voluminis usurpetur, est auctor, quia haud ita facile ligatura ope constringi posse contendit; quod tamen qua de causa suaderet, ille omnino

non annotavit. Kilian deinde, qui, quamquam ipsum instrumentum deligatorium invenisse vidimus, tamen resectionis rationi valde favet, nihilo tamen minus opprobrium istud, quod huic detur, nempe in iis potissimum polypis, qui magnitudine sint haud mediocri, difficultates maximas ac pericula cerni, verum esse rectumque haud negat. Meissner (52), qui antea deligationis methodo studiosissime favere videbatur, sectionem saepius usurpavit, ita tamen, ut non semper hanc operationem probandam esse illamque solam laudandam contendat: quum nonnunquam spatium desiderari dicat, per quod duos simul digitos atque forficem ad polypi usque basim inserere liceat; dum etiam polypum, per Sieboldum clarissimum non omnino forficis opera extirpatum esse, clarissime, cur ligatura hic palma sit deferenda, demonstratur. His igitur omnibus virorum eruditorum judiciis eam, qua equidem ducar, sententiam satis confirmari, nempe maiores polypos ligatura methodo potius removendos esse, facile nobis licet intelligere.

e. Jam vero nos devenimus ad ultimum, qui huc pertineat, locum, habita ratione impedimentorum ac difficultatum, uterinorum polyporum extirpatione conjunctarum, nempe ad polypos illos, qui in utero haereant. Quum autem exordio hujusc capitis polyporum diagnosis in usum non semper ceriam esse saepiusque minime securam contenderimus, nunc profecto, hanc ipsam ambiguitatem atque securitatis defctionem majorem etiam dicendam esse, in primo affectionis initio nobis acriter est admonendum; nec non quum principio sensim

ac pedetentim magnitudo augetur; porro si polypus nondum ex utero in vaginam excesserit, aperio uteri ore, et denique si polypus omnino adhuc utero clauso continetur. Uterque, quem proxime posui, casus nunc quidem gravissimus nobis maximique momenti putandus est. Symptomata rationalia, quae vocat cl. Dupuytren, nihil aliud, hoc loco, nisi conjecturas quasdam efficiunt, namque tactus ille atque visus haud quaquam hoc in casu quidem sufficient, quum praesertim affectio unice tum demum cognoscatur, si volumen haud mediocre consequutus est polypus. Negari autem non potest, hic symptomata quaedam, praecipue propria ac peculiaria sanguinis profluvia characteristica, deinde imbecillitatem quandam, in dies crescentem, praesentia atque evolutione polypi adeo posse augeri, ut producant interdum statum, vitam etiam in discrimen vocantem, quin ipsam mortem propriar confectionem viriumque consumptionem maturent; quod nonnunquam jam faciunt esse Fischer illius casu (36) demonstratur; quum igitur extirpationem tumoris solum omniu[m] penitusque curare remedium esse sciamus, quum deinde sicuti Kiliap assertat, polypus non videtur expulsi, exceptis cuneatis sic dictis, ansae sint longe efficaciores metrorrhagiarum, quam ii, qui jam expulsi sint, quumque multae seminae jam antea, quam tumor excesserit, mortem occupant, valde sine dubio exopiatum sit atque acceptum, si operatio in iis etiam polypis, qui utero adhuc inclusi sint, ad effectum possit adduci.

Nunc igitur ad objectam hanc quaestionem erit respondendum, num scilicet ejusmodi

institui unquam possit, si collum uteri, ad polypi penetrationem satis praeparatum inveniatur, atque si ad eam uti aequum est, latitudinem uteri os adduxeris, tum autem, quaenam potissimum methodus adhibenda sit nobis quaeratur. Richter (65), Chelius (16), Neumann (56), Rust (69, XIII) deligationem hoc in casu institui posse negant; Rust etiam in iis polypis, qui aliqua certa ex parte ex uteri ore jam excesserint hoc effici non posse dicit, quum propter illum cuneatum, nullum omniu[m] instrumentum vel praeier polypum, vel, quod difficilius etiam sit, ad pediculum usque ferri possit; quod quidem fieri posse, quamvis haudquaquam negetur, tamen hoc casu, uti Hacker (74) affirmat et equidem quoque persuasissimum habeo, affectus tam graves, tanti momenti nunquam esse possunt, ut non satis temporis habeamus ad diutius operiendum; accideret etiam, ut sanguinis profluvia nonnisi sic dicta interna essent, neque deinde, quod ad quantitatem pertinet, ita copiosa cernerentur, quum uterus, polypo quidem extensus, omnino simul impletus, illius finem statim eo magis imponeret, quod os uteri polypo clausum inveniretur. Si Velpeau illius doctissimi sententiam sequuti fuerimus, neque ligatura neque altera operationis ratio est adhibenda, dum polypus utero inclusus cernatur. Rust (l. c.) deinde certiores nos facit esse quosdam auctores (Nissen (57), Boivina et Dugès cum aliis quibusdam) qui de hacce deligatione, tamquam de re aliqua, quae salis nota omnibus sit atque cognita, dissererint, nec tamen, quomodo tandem ad effectum adducatur, ne

verbo quidem attingerint, neque casus aliquos, in quibus hujusmodi operatio instituta sit, laudaverint. Neque vero ita rem sese habere haud ignoror; atque si quis, cur tandem fieri non possit, ut hoc in casu deligationem usurpemus, ex memet quae siverit, non me habiturum esse, quae respondeam, ipse confiteor. — Namque, quod ad remedia illa pertinet, quibus viam nobis ad polypos aperiamus, Dupuytren ille, Griffith et Mc. Farlane (28) suadent, ut secale cornutum adhibeamus, ut polypus, comotis uteri contractionibus ad exeundum cogatur, quod quidem medicamentum non semper huic fini respondere videtur, id quod eo etiam, quem jam supra communicavi, Hackeri seu potius Buckii casu (74) confirmatum satis probatumque videmus. Ulsamer (82) deinde et Kili-an tum tantum cornutum illud secale potius esse obtinent atque usurpandum, ubi opus est, ut polypi sanguineae profusiones sedentur; sicuti viri illi clarissimi, uteri habita ratione, idem adhibendum esse opinantur in doloribus ex partu tardioribus et desidiosis seu omnino remittentibus, utero debilitate, oreque uteri aperto; itaque, ut videtur, si jam locum habuit quae-dam uteri activitas. Kilian, boracem ad polypum exigendum meliorem esse, affirmat. — Quod deinde pertinet ad perficiendam polyporum, in utero haerentium deligationem, nullo graviori modo, a deligatione altius sitorum polyporum distinguitur, id quod non omnes solum eruditii medici consentiunt, sed iis etiam, qui studiosissime resectionis methodo siveant, caussa vide-ur ac ratio, cur ligatura illi extirpandi metho-

do haud parum antesperatur; hac enim sententia Simson (79) dicitur cum clarissimis viris Blan-din (7), Schmidt (73) aliisque resectionis amicis. Est igitur certum atque exploratum, polypos, qui in utero adhuc haerent, haudquaquam contraindicationem deligationi sistere; illius au-tem methodi usus, si cum deligatione polypo-rum, altius sitorum, diligentius comparayeris, nonnisi majorem cautionem requirit ac deside-rat, nec vero, quod ad exercendae ejus ratio-nem pertinet, opus nunc est, ut proprie mihi et sigillatim hisce in paginulis exponatur. Quam-quam deinde affectionis istius, ab aliis quibus-dam distinguendis cognitio haudquaquam firma nobis est atque stabilis, tamen eae, quae forsitan praecesserint, caussae occasio[n]ales, constitutio habitusque aegrotantium, tempus ac ratio origi-nis mali fontisque, necessariae omnino sanguinis profusiones, parasiti insensibilitas, uteri intumes-cen[ia] ex abdominis externa exploratione appa-rent, satis mihi defensionis esse videntur, si, quamquam sola adest veri similitudo, tamen operationis illam methodum omnino innoxiam adhibuerimus; idque eo magis est excusandum, quum, medicum indicatio vitalis commoveat, necesse sit, ut partium apertione facta, viam si-bi ad polypum ipsum patefaciat munitaque, at-que quum praeterea semper ligatura haec ratio sit, insolita quidem ac mira, attamen innocens ac minus vetita ad diagnosin securam facien-dam. Quod denique ad eos pertinet casus in quibus deligatio instituta esse dicatur, equidem, quum eorum, quos cl. Hanck (l. c.) deligaverat, polyporum locus insertionis haudquaquam cer-

tus sit et manifestus, eam tantummodo, quam Buck (74) ille perfecit deligationem appellabo, quippe quae omnino directiae isti, a Rustio cl. factae negationi repugnet. Auctor ejusdem illius capitis simul id maxime in lucem profert illustratque, perfectam et absolutam passivitatem, ut ita dicam, et inertiam uteri tandem committere, ut ligatura possit applicari; nam polypus haudquaquam pondere suo ac mole sed tantum uteri contractionibus ex hocce exigi solet, quo sit, ut, etiamsi uteri inertis os apertum sit atque pateat, sicuti in casu laudato, in vaginam tamen decidere ac delabi non possit.

Si igitur deligationis methodum in polypis etiam, in utero adhuc haerentibus, si ea, quae illam agendi rationem postulaverint, signa morbos graviora non desiderentur, etiam atque etiam commendo, mea quidem opinione, resectionem contrario omnino erit spernenda atque contemnenda, quippe quae magna haud mediocrum impedimentorum ac difficultatum copia non vacua sit; ex qua quidem incommodatum multitudine id tantum afferre mihi libet, fieri omnino non posse, ut accusissimum illud instrumentum simul cum manu ductrice tam alte per angustiores genitalium partes immittatur, in iisque ita tractetur, ut nulla gravior majorisque momenti violatio producatur; hac quidem in re maiorem medicorum partem consentire, haud ignoramus, sicuti ipse censet Kilian (l. c.), difficultates ac pericula, resectionis methodo conjuncta, tum praesertim nobis esse respicienda, si altius siti sint polypi atque volumine praediti haud mediocri. Si igitur multi eorum, qui re-

sectionis causam summo studio, summo ardore agunt, eam in altioribus jam polypis ligaturaे postponere solent, quanto magis in polypis ute- rum omnino tenentibus istam operationis rationem ab iis rejicienda erit. Itaque equidem maxi- mo occupatus sum stupore, quum cognovi clari- ssimos viros Roche et Sanson (68), hanc esse resectionis virtutem, quae ligaturam deficiat, quod illam in iis etiam polypis, qui adhuc es- sent inclusi, adhibere nobis liceret, tam instanter contendere; quo quidem id etiam accedit, quod virorum istorum verba ad eum casum re- feruntur, si os uteri adhuc omnino est con- clusum. Dupuytren enim hoc in casu specu- lum uteri in vaginam collocavit, instituit deinde dilatationem oris uterini cruentam, tum se- calce cornutum porrexit et excisionis tandem vi- am ac rationem, summa cum peritia ita confe- cit, ut felicissimo operatio eventu gauderet. Ut dilatatio illa cruentia antegredieretur, Mende (54) jam anteas illustrissimus adhortatus fuerat. Ri- cheraud (64) etiam huicce opinioni nou omnino inimicus esse et alienus videtur. Boivina deinde et Dugès (12) hac quidem in re, iis, quae Dupuytren expertus est, confidentes, eodem loco afferunt, in tumoribus volumine majore praeditis atque si, uteri os rigiditate sua, quo- minus polypus protrudatur, impedimento sit, sa- luberrimum esse, ad hoc unguentum ex extr. belladonnæ paratum applicare. Kilian (l. c.) eandem illam dilatationem cruentam ultimam esse dicit atque securissimam simul rationem, si ad polypum usque viam tibi aperire conatus fu- eris. Traditione etiam est memoriae per Schre-

gerum (75) in iis casibus, ubi periculum esset in mora atque si conclusum os uteri, quominus instrumenta deligatoria adhiberentur, impedimenta objiceret, illud artificioso modo, quin ipsa cruenta illa dilatatione aperiendum fore. Fuerunt etiam alii quidam, qui, ubi collum uteri vel paululum admodum vel omnino non esset aperitum, proposuerint, ut dilatatio artificiosa non cruenta, spongiarum ope instituatur. At collum uteri, quod partus tempore extenuatum est, emollitum atque sensim tantummodo ac pedetentium sese exiendit, hocce in casu in polypis propriea, quod omnis deest praeparatio, forsitan autem idque magis etiam proper morbosam affectionem densum omnino, interdum adeo rigidum videtur; atque quin certum affectus grayiores extirpatione accelerationem cum praeparatione illa instanter flagitant, dilatatio autem haec non cruenta plures interdum dies perdurare possit, hic quoque, ut adhibeatur, permitti non potest.

Quod deinde attinet ad perficiendam hanc totam agendi rationem in polypis, ore uteri non aperio, praemittenda dilatatio cruenta haudquam difficultate aliqua est conjuncta atque saepius jam perpetrata, ea autem, quae subsequatur excisio ardua admodum est atque perdifficilis, neque ab alio forsitan, nisi a Dupuytren magno, ad operationes constituendas accommodissimo ingenio ad effectum potest perduci. Hisce igitur caussis adductus ego saltem, si omnino necessarium est, instituere operationem, in eorum sententiam discedere volo, qui hoc in casu deligationem multo potiorem esse contendant.

Si deinde, num omnino, uteri ore clauso, reapse tumoris ipsius extirpatio imperari possit, diligenter consideraverimus, facilimum erit ad intelligendum, sicuti ore uteri aperto diagnosis non satis distincta sit, sed ambigua potius dubiaque, item hocce etiam in casu multo magis nos ab omni, qua ducamur, via declinari neque alia re nisi conjecturie uti posse. Caeterum animo me excogitare non posse confiteor, quomodo fiat, ut, concluso uteri ore, symptomata tam gravia tantique momenti cernantur, quae medicum, quamvis non nisi sola verisimilitudo adest, commoveant, ut tam ambigu atque dubia, sicut Rust (69, XIII) dicit, agendi ratione utatur. Hacker (74) deinde, fieri omnino non posse, acriter contendit, ut hujusmodi symptomata unquam ad extirpationem suscipiendam adducant. Evidem autem, etiam si hac quidem in re minime eo progredi audeam, quum praesertim, si ita agerem, in dubium vocare viderer, num satis idoneas rationes cl. Dupuytren habuisset, cur duplicem istam operationem adhiberet, tamen profecto hoc persuassimum mihi habeo, ejusmodi casus perraro tantummodo inveniri ideoque, ut semel adhuc lectoribus in memoriam revocem, commover, medicum semper summam cautionem, summam diligentiam in agendi ratione consumere oportere, ne quid vitii forsitan gravioris in sece admittat, in cognoscenda ipsa affectione et operatione, ad illam spectante, instituenda.

II. Alternum caussarum genus quae praecipue cl. Dupuytren commovisse videntur, ut a ligatura alienum sese praeberet, secundaria ista sunt symptomata, quae illam plerumque subsequi dicuntur, quaeque si omnia comparata fuerint, illa potissimum erunt, quae sequuntur: primum foetida quaedam corrupta ac sordida profluvies, excoriationes deinde, tum impedimenta urinae emissioni et alvi dejectioni quae obsiant, postea dolores, denique variae inflammations.

I. Foetor ille taeterimus, qui semper deligationi comitem sese adscribit, quique in resectionis methodo non invenitur, quum hoc in casu corrupti humoris profluvies vel exilis admodum sit atque levior, vel omnino nonnunquam non adsit, ubique ferme res est onerosa ac molesta, quum praesertim, quamquam aliqua certe ex parte, tamen non omnino funditusque dissolutae calcariae oxymuriaticae injectionibus tolli potest; quae potissimum caussa me permovet, ut haudquasquam infitias eam, inde praecipue resectionis methodo virtutem et commodum proficiisci. Secretio deinde saniei foetorem istum taeterimum efficiens non solum molesta est et onerosa, sed perniciosa etiam atque noxia aegrotae, quum non omni careat veritatis similitudine, quod nonnulli contendunt, nempe saniei istius putredine viliali portionem resorberi. Loder (45) eos etiam, qui post hanc operationem cernerentur affectus, ex hacce absorbtione profectos plerumque esse affirmavit, quae in vagina atque in genitalibus in genere omnino facillime procedere fertur; tum ex hac etiam

re conjecturas facit de contagione, coitum impurum subsequita, sicuti etiam inde concludit quaedam de conceptionia theoria. Dupuytren (l. c.) autem pro certo affirmat, mortem, etiam si tonicis et antisepcticis usus fuerit, semper tamen necessario sequi, atque si in cadaveris sectione, metritidem nullam mortis caussam fuisse, probatur, tamen esse omnino in culpa verum illud veneficum, resorbendo effectum. Haec autem illius opinio nimia mihi videtur. Quum enim resorbatio illa, quacunque polypi deligatione perfecta, semper inveniatur, quisque casus ubi illa agendi ratio est adhibita mortem provocet necesse est, et ligatura omnino deinde et medica arte esset ejicienda removendaque. Huic autem viri illius illusissimi opinioni omnino repugnat experientia atque usus, ideoque equidem tantum, exempli gratia, ad eas quas nos curavimus aegrotas, relego. Si justo serius instituta fuerit operatio, saepius, quamcumque agendi rationem adhibueris, ubi propter magnam mucosorum, sanguineorum, purulenterum profluviorum copiam aegrotae vires magis magisque in dies evanescant, mors adeo provocatur, comitantibus quibusdam signis uiri summa confectione, exinanitione viriumque consumtione, cachexia maxime exulta ac perfecta; hic autem eventus, quin non propriae alicuius operationis methodi sit sequela, neque commemoratae resorbitioni criminis dari possit, non est dubium et incertum. Quamquam igitur numquam sine dubio negabo, parasiti istius dissolutionem, praesertim si longius temporis spatium perdurave-

rit, maximam esse molestiam onusque, indeque justum neque profecto leve, quod ligature facias, opprobrium profluere, tamen eisdem hoc loco in contrariam partem admonendum esse arbitror, polypes saepius, postquam perfecta sit deligatio, illam omnino non efficere saniei molestiam, sed corrugari etiam neque multum edere humoris corrupti (70, XLVI, 2).

Ex altera autem parte resectione, numquām ejusmodi affectus procreari, commemorant. Hac quidem in re summa veri similitudo a Dupuytren Illins, Paillard et Marx (40) partibus etare videntur; quod autem censem, ejusmodi symptomata inveniri in resecandi methodo numquām posse, quod haec operationis ratio nullam suppurationis caussam relinquat — id profecto non ita rectum esse verumque theoria non solum sed experientia etiam docet. Numquām profecto quis audeat applicare instrumenta illa acutissima proprius ad uteri parietem, id eoque vero simillimum esse, appareat, non omni in casu polypos in loco potissimum insertionis recidi, sed partem saepissime pediculi remanente, quae suppuratione tantum amoliri potest; haec est Horlacheri (70), Trollfeli (18) sententia; et ipse adeo Steinhäusen (70) affirmit, haudquaquam resecandi ratione, quominus partes violatae laesaue saniei edant, posse impediri. Stione (80) yasis absorbentibus reliquae polypi partis resorptionem effici scribit. Jörg (49) e contrario censem, totum tumorem substricta demum radice emori ac putrefieri debere, ut processus pathologico-vitalis extinguitur. Quemadmodum nulla forfex ita quid secat, ut simul

non compressio quaedam sentiatur, item hoc casu eadem illa compressione inflammatio aucta minimeque metuenda cernitur, illaque suppurationis provocatur, qua pediculi, quae remansit, portio omnino funditusque solvatur; quo fit, ut ita facillime prohibetur, quominus polypus, semel extirpatus, iterum succrescere possit. Suppuratio igitur quaedam, parva quidem omnino et levis resectionis methodum subsequitur; quare etiam fieri posset, ut in mulieribus cachecticis, apud quas omnes secretiones naturam et indolem habeant, abnormi modo commixtam et immixtam, haec etiam purulenta secrecio, saniei indolem recipiat; id quod declarare, perniciosem vim quae adeo crimini detur deligandi methodo in olfactus organis eaque via, quae resorptione ista efficiantur in singulis quibusdam, raris quidem casibus, tamen haudquaquam absolute nunquam resectioni conjuncta esse.

2. Alterum deinde opprobrium, quod quin merito atque optimo jure viri aliquot deligationi faciant, non licet dubitari, id esse scimus, quod aegrotae saepissime irritationis status vel excoriationes, molestias magnas afferre solent, ut nonnunquam tolerari amplius non possint, ut quae foetidae saniei effluvio procreatae, haud parum per hancce, sicuti etiam per serenoed illius remansionem vel per coralliorum inter sese nexorum, vel per totius deligatorii instrumenti in genitalibus retentionem sustentatur interdum complures per dies, quin etiam per 2 ad 3 septimanas. Haec autem incommodeitas, eti profecto non eo in gradu occurrit, quam resectionis assetatores pronuntiare solent,

quum facillime, quantum ad excoriations quidem pertineat, per injectiones et suffitiones variis generis amovere tollereque liceat; attamen, si accuratius utramque operationis methodum inter sece comparaveris, hoc quidem gravius esse viuum, quod ligaturae criminis deitur, facilissimum est ad intelligendum, quamvis ab Armingio (40) levius minorisque momenti esse putabatur. At incommoditas haec non modo veteri deligationi generi criminis dari potest, sed etiam alteri, nempe corallis inter sece connexis; namque quantum haec habere videtur praestantiae, proper mobilitatem non coactam, tantundem compensari videamus per diametrum orbiculorum, qui, si simplicibus argenteis bacillis vel fistulis comparati fuerint, multo major est ampliorque. Hauck (l. c.) hanc quidem rem afferre omnino omisit.

3. Contendunt deinde autem, alia etiam eaque saepius graviora symptomata, ut ischuriā, stranguriam atque alvi obstructiōnem deligatione esse conjuncta. Quid autem affectus perraro profluere solent ex inflammatio-ne, in ipsam urinariam vesicam et recum intumsum sese extendente, sed postūm plerumque mechanica ratione per polyporum intumescentiam efficiuntur; unde sequitur, ut nunquam tam graves sint, quā mortis ipsius periculum provocare possint; partes enim molles pressioni tanopere cedunt, ut inde plurimis in casibus nulla eveniat sequela, quae magni sit momenti et quam forsan symptomata dicta urgeant, excretiones suppressae artificialiter, ope nempe catheteris, clysmatum et medicamentorum evacuantium

restitui possunt, nisi jam remediis praecedenti-bus satis illis occurrere studuerimus; ceterum saepe etiam molestiae istae, quae polypi intumescentia efficiuntur, omnino non curvuntur, quum illum non tantum saepe non intumescere, sed etiam, uti Steinhauseni casu satis declaratur, nonnumquam corrugari etiam videamus (70).

Virtus igitur, qua resectionis methodus proprie deficiente illas, quas modo diligentius exponere conabar, molestias gaudet eo graylor majorisque momenti evadit, si momentaneam alieni istius corporis remotionem consideraveris, quae sectio exempli perficitur. Hujus loci proprium est, ut rem illam accuratus contemplari studeamus. Patrix (60) quidem casum quandam enarrat, quo, duobus vel trībus diebus post ligaturam institutam elapsis, tota solutio processisset, hoc autem rarum admodum atque insolitum est. Atque si contra, casus nonnumquam accidisse, ubi polypi absoluta remittio tempus etiam duorum vel trīum hebdomadum postulaverit, animo reputaverimus (quo quidem tempore detrimenta etiam quaedam, quae, eti facile possis amoliri, tamen auxilio egeant opeque — nempe soetorem, excretionum suppressionem, exulcerationes, quin etiam interdum perforationem vaginae parietis (34), uteri irritationem longius tempus perdurantem, momenta esse scimus, quorum remota exoptata admodum videatur atque accepta) facilissime nobis intelligere licebit, eos medicos, qui omnino totique ligaturae rationi addicti, resectionem spernendam esse et contemnendam censeant, optimo jure esse accusandos, famquam judicio utantur,

rem ab omni parte non satis examinante, tamquam deinde non omnino sine ira judicent studioque. — Quin etiam non defuerunt, qui noxiū putarent atque perniciosum si tumor iste, qui tam diu jam quasi partem genitalium confecerit, subito ac repente removēretur tollereturque. Nos igitur, id praecipue annotandum nobis atque illustrandum esse censemus, quanta major graviorque reddatur haec resectionis virtus, quum affectus quidam accidere possint, qui instanti remotionem corporis alieni postularent, quod efficeri si dubitaveris facile occurrere potest, ut symptomata illa augeantur crescantque, quin etiam mortis periculum provocetur. Mende (54) igitur, resectionem nonnisi hisce in casibus adhibendam esse opinatur.

Quod, si rem sigillatim consideraveris, occurrere scimus, si naturalis illa fiat uteri inversio polypo effecta, ubi inflamatio posset provenire eamque sequeretur gangraena, quo in casu, sicut Jörg dicit (38) tum demum nonnunquam polypus ligatura solveretur, si jam extrellum vitae halitum aegrota edidisset. Loder (45) eodem modo resectionem his in casibus usurpandam esse confirmat, uterque autem, priuquam resectionem adhibeant, ut ligatura etiam admoveatur, auctor est medicis, ne desit securitas atque tranquillitas animi. Siebold cl. (76) nec non Simson hic necessariam illam esse opinantur. Rust (69, XIII) item hunc maxime ad finem utendum esse resectionis methodo censet. Burchard (10), deinde Boivina et Dugès (8), Boyer (9), Breschet (22) omnes eadem ducentur opinione. Hauck (70) utilitatem haud

ita parvam e resecando percipi dicit, si hujusmodi uteri inversio effecta fuerit. In tali etiam descensu operatio haudquaquam difficilis est atque ardua, quippe in qua ad polypum non manibus solum sed instrumentis etiam sine ullo negotio aditus pateat. — Polypus qui jam totus et omnino ex genitalibus excesserit, sine omni dubitatione, ut facillime per se intelligitur, resectione erit removendus. Hac autem in re equidem, ad ea quae supra dicta sunt, relegans, hoc lectores admonere debeo, haudquaquam verba mea verbis discrepare putanda esse, quum ego hoc in casu polypi magnitudinem minime resectionem contraindicare contendam; namque etiamsi negare nobis non licet, polypum saepe in vagina adhuc haerentem obnimiam suam magnitudinem gravissimum jure haberi impedimentum, quin nonnunquam etiam prorsus operationem prohibere, tamen hoc erit maxime animo reputandum volvendumque (sicut polypus ex utero nonnisi hujus ipsius organi contractionibus excedere solet) inversionem illam nullam ob aliam caussam, nisi e polypi ipsius mole ac pondere evenire; in his autem polypis, qui enormi magnitudine praedili sint, ubi resectionem instituere non licet, inversionem effici non posse, quoniam polypi eo ipso per pelvis parietes retentii, naturalem gravitatis legem sequi non possunt. Si igitur quis existat, qui consilium ineat, facta jam uteri ita inversione, ligatorio instrumento utendi, tum siue dubio, quin ii, qui utique per eandem hanc inversionem progigni plerumque soleant, affectus augeantur etiam atque crescant, infitias

ire non possumus, quum jam instrumenti pondere, quod nunc accesserit, inversionem omnino augeri, facilime intelligatur. Inversionem ex industria forcips operā effectam, minus, quam illam, periculi ac discriminis afferre sole-re, Richter (65) et Baudeloque (5) censuerunt, quamquam non ita exoptatum medicis acceptumque videri posset, huic tam multum violen-tiae esse conjunctum; ceterum plerumque perac-ta jam ipsa resectione, per se se ipsa et suapte naturā reponitur (50). Simson deinde hoc loco (79) opprobrium quoddam in ligaturae metho-dum jactat, quod tamen mihi quidem inane vi-detur atque vanum; nempe accidēt interdum dicit, ut periculum magnum adsit, ne polypus perrumpatur: qua quidem in re ex violata lae-saque uteri substantia sanguinis profluvium pos-sit originem capere, quod nonnunquam peric-u-losissimum evadat atque maxime noxiū, ita ut aegre stypicis possit removēri. Maxime na-turae consentaneum videtur, in eo potissimum loco, quo ligatura applicetur, accidere, ut pér-rumpatur polypus; hoc autem in casu unde fiat, ut profluvium istud sanguinis mortiferum retra-tatur, me non satis perspicere confeor; namque, etiam si quoad sanguinis profusionē, ratio rup-itorum (gerissenen) vulnerum atque incisorum (geschnittenen) diversa admodum est, tamen mirum videtur atque insolitum, si resectione ad-hibita fuerit, nullā omniō sanguinis profusio-nem, ne minimam quidem animadvertis, dum in usurpanda deligandi methodo pestilens adeo fi-at atque mortifera.

Alteram deinde causam, quae parasiti illi-

us remotionem quam celerrimam, ergo reseccio-nem expostulet, sequentem esse, haud nescimus. Ubi enim affectionis progressus aegrotantium vires adeo consumunt franguntque; ubi deinde totus earum habitus tam confectus esse cer-nitur, ut tarda, quam ligatura exerceat, vis atque efficacitas simul cum secundariis illis, quae apparent, molestiis statim in deterius tan-tummodo possint mutare; ubi necessarius forsitan antiphlogisticus apparatus aegrotam omnino perdit — ibi tantum, inquam, resectione erit adhi-benda; caeterum equidem antiphlogoseos usum non tam saepe (quam Simson) indicatum esse opinor. In fine adhuc erroris, in quo mihi Hacker cl. (74) versari videatur, mentionem sa-cere animalm induxi. Ille enim, consilium i-tud, quod a quibusdam medicis tribuitur, nem-pe: „ne more ipse instituenda operatione acce-sleretur, si haud parvam reactionem polypus in „totum organismum exerceat“ (ergo hoc in ca-su operatio omittenda) ad extirpationem poly-porum uteri in universum referendum esse pu-tat; hoc autem modo res sese habere prosector non potest, quum experientia saepissime probe-tur, his potissimum in casibus curationem poly-porum et quidem resectionem felicissimo semper eveniū coronari; quo adducor, ut credam, hoc consilium apud deligationem taurum in specie adhiberi debere.

4. Quartus deinde secundarius affectus, a Dupuytren cl. fursus deligationis methodo cri-mini datus, ipse est dolor. Schmidt et Bur-hard in illius sententiam discedentes haec verba scripserunt: „at dolor, quamquam levior,

„certe diurnior est, praesertim resectionis habita ratione.“ Dupuytren ipse, polypis nervos sensitivos omnino non esse contendit atque, si forsan nervi etiam quidam iis insint, tum certe organicos tantum esse affirmat, propterea quod in ipsa tumorum excisione perpetranda, nullus, ne minimus quidem sentiatur dolor et tractatio etiam forcipis ope facta omni dicatur dolere vacare. Nihilominus integumentum illud vel involucrum polypi, quod ille in altero loco carnosum nominat, altero autem loco, sibi ipsi contradicens, continuationem membranae istius mucosae uteri esse confirmat, si laqueo lemiter constrictum fuerit, dolorem excitare dicit; tamen polypi texturam colli uteri telae simillimam esse dicit, quod, sicuti constat, omnium maxime nervosa est pars uteri secundum vaginali portionem, et notissimum sane est, hoc quidem loco nervos non modo organicos esse, sed etiam praeditos sentiendi facultate. Dupuytren ergo, Paillard et Marx, Simson dolores, qui in resectionis methodo usurpanda exigui tantum sentiantur, virtutem esse opinantur, qua haec potissimum operandi ratio comitetur, attenuantiae ejusdem latus in resectione immerita omnino est. Simson hac quidem a ratione sequenti modo loquitur: „In momento resectionis aegrotae de nihilo, quod dolori simile foret, queruntur, nisi fortasse de premente manu „in vaginam.“ Haec autem pressio in deligandi methodo omnino non animadvertitur. Simson hoc modo pergit: „multo maiores autem afferuntur dolores deligatione, si discesseris ab iis, quos aegrota sentit, dum nodus firmius ad-

„stringitur, hoc ipso sensu per multos dies est affectia, multisque incommodis excruciantur.“ Si igitur hisce verbis atque Dupuytren ipsius verbis fidem tribueris, dolores illos, qui interdum vel in inguinis atque lumborum regionem sese extendunt, ex distortione quadam et extenione carnosoi polyporum indumenti, seu ipsius interioris uteri membranae proficiunt, facta per filum ligaturae constrictione, credere debet; secundum Boivinae autem ac Dugesii opinionem dolores iidem isti uteri vasorum distortione effici solent. — Statim quidem a priori, quantopere uterus vel universus organismus violari laedique possit, decerni et constitui nequit (87), qua in re effectus deligationis adventicius admodum possit perniciousus fieri atque ipsam mortem producere, tamen mihi quidem illae, ex quibus dolores isti plerumque proficiuntur dicuntur, causae non satis idoneae videntur sed potius omnino inane. Si enim ea, quae experientia praeceperit, diligentius contemplamur, jam ex quinque illis, quas hic adjeci observationibus facile erit ad cognoscendum, apud nostras quidem aegrotas dolores omnino defuisse, atque in genere perraro tantummodo reperiri. Steinhausem (70) usu sese edictum contendit, haudquaquam necessarium esse, ut post deligationem graviores dolores sentiantur. Secundum Ringii (67) sententiam „ligatura sine magnis doloribus potest absolviri, quia polypus, quamvis interna uteri membrana obtectus, non admodum sensibilis est.“ M. Mayor (48) ligaturam defendendam suscepit, tamquam agendi rationem securitate sua, facilitate ac doloris vacuitate ex-

cellentem. Liefranc (40) quidem, qui in polyporum radicibus tenuibus sicuti etiam in latiore basi eorum, ligatura torsionem ipsam haud parum potiorem esse obtinet, excisione methodum omnium nominat securissimam operationis rationum atque auctor est medicis, ut apud polypos moliores uteri collum, quod multo minus pungendo atque incidendo, quam pressando dolore afficiatur, volsellae cuiusdam operâ detrahere conentur. Sin autem accuratius resectionis methodum examinaveris atque exploraris, facile intelliges, in eadem partim digitos ad polypi usque radicem in angustiorem, nondum satis praeparatam vaginam immissos, vel totam manum cum forfice pressuras quasdam doloresque graviores excitare necesse esse; partim etiam immissionem volsellae, forcips vel intérionem hami in massam polyposam, partim distortionem non solum interni sed externi etiam uteri involucri, pituitariae scilicet membranae, sicuti quoque peritonaei maximis conjunctam esse doloribus; atque si denique annum nostrum ad ea praecipue attenderimus, quae maximus ille resectionis defensor, Dupuytren dico, de suis appellaverit methodo, tum certum quid de magnis ejusdem laudationibus ferendum sit iudicii, omnino in angustias adduci debemus, quas a medicis resectioni indulgentibus huicce methodo impertiri videmus. Licet enim nobis legere apud istum: Atque si aegrotae nonnunquam conqueruntur et clamant, causa prosectorum ea est, quod forcipe sanam uteri apprehendimus partem, vel quod justo violentius atque fortius uterum detraximus; quo nobis

concludendum est ejusmodi vitium vel ab operatore etiam tam perito commissum aliquando esse, vel ab eodem certe concedi, hujusmodi delictum accidere posse; unde sequitur, ut nouita facile sit, quod Richerand (64) dicit, nempe uterum vel collum uteri ad pubis usque rimam detrahere. Inversio deinde, methodice effecta, minus periculosa esse dicitur, quam ea quae per se ipsa facta sit, tamen semper adhuc est discrimine juncta. Gaeterum in singulis quibusdam et peculiaribus casibus occurtere possit, ut medicus commovatur, ut illo discrimine supercedeat; autamen medici resectioni faventes, sine ullo discrimine in omnibus casibus artificiosam usurpant inversionem. Kilian faciendam eam esse censuit, si manus, quominus ad polypi usque petiolum progrederetur, forma ei amplitudine polyporum altius dependentium, impidiretur.

Hisce omnibus explicationibus computatis, equidem profectio non possum, quin dolorum rationes caussasque multo graviores esse dicam in resectionis methodo adhibenda, quam dolor qui iisdem in casibus ligatura provocatur, quem hic quidem remitti potest, forceps autem partem semel apprehensam multo difficultius omittat; quo accedit, quod ea, quae illo perficitur tractio, haudquaque dicenda est omni vacua dolore, quippe quae nonnunquam ad eum usque vehementiae gradum procedere possit, ut aegrotae non modo conquerantur, sed clamitent, ejusmodi quod tamen, equidem quantum sciam, apud ligature rationem accidere omniuo non possit, nisi forsitan occurrerit, ut uterina portio simul

constringeretur. Videntur tamen heroes illi resectionis peritissimi, clamorum istorum atque dolorum, quibus aegrotae corripiebantur, ne minimam quidem habere rationem, atque Velpeau illum videmus eo jam in studio suo vehementissimo, quo resectionem defendat, progressum, ut, postquam aliquo in casu detractio ista polypi per soliti forcipis opem non bene processit, aegrotae potius nihil amplius auxiliū praeferaret, quam ut ligaturam multo faciliorē adhiberet, vel certe conseretur usurpare, quo factum est, ut aliquot mensibus elapsis, aegrota eadem mortem occumberet.

Si igitur omnes, quas modo diligentius exposui, res accurate perpendimus, in aliā omnino sententiam nobis discedere opus est, non solum de caussis dolores in deligatione gignentibus (si enim ab iis qui inflammationibus procreati sunt, discesseris), sed etiam de virtute ista, quae inde resectioni tribuenda sit. Mihi quidem dolores inter deligationem inde potissimum proficiuntur, quod plerumque justo magis id agebant atque enitebantur, ut polypum quam proxime ad radicem deligarent atque ita interiorem uterinum parietem, qui simul cum polypo dedescenderat, ex parte inversum simul apprehendebant. Burns (11) ac praecipue Gooch (30) multorum casuum, qui infeliciter ita successerint, faciunt mentionem, idemque Herbiniaux illius (33), Deguise (20), Lejeune (42) et aliorum quorundam experientia edocemur. Kilian contendit nullam siam esse posse doloris rationem, quam quod majorem minoremve uteri partem unā apprehendissent;

Steinhausen etiam huic sententiae assentiri scimus, nempe ita ut dolorem ex constrictione non omni in casu adesse dicat; quum ille dolor e contrario apud tendinosos adeo atque fibrosos polypos, nisi altius applicata sit ligatura, non inveniatur. Neumann (56) igitur sese quoque idem usū compensisce obtinet. Ringe (67) unaque eadem opinione duci, haud iguoramus. Loderi cl. (45) observationibus etiam hujuscē rei veritas satis confirmatur. Velpeau (83) sicuti idem lectoribus in animū vocat, ita, ligaturam non recto altius applicandam esse, dicit. Si igitur illud non respexeris, accurratione ista nimia et injusta eum, quem spectas, finem non tibi assequi licere, tamen hoc erit graviter admonendum, uterinam partem vitio isto abscissam (in resectione), non amplius ita posse reponi, ut rursus coalescat, quin etiam quibusdam in casibus, in quibus per polypi pondus multum fundi, cui polypus inhaeret, in petiolum protractum est, nonnunquam, ut Meissner (l. c.) testatur, foramen etiam in utero posse conformari. Simson (79) quidem arbitratur: „manus „inexercitissima tantum tale opus proferre posse, et porro etiam deligatione idem oriri possunt, quod majoris adhuc detrimenti mihi videbatur, quia foramen, tunc temporis putredinis „processu formatum est.“ Simson autem oblitus projecto est, hujusmodi vitium simplicissima laquei remissione facillime statim levari posse idoque accidere haudquaquam, ut tale foramen in deligationis methodo usurpanda formetur, nisi forsitan pertinaciter atque obstinate agens aste-

ctuum illorum, quos per constrictam uteri portiunculam progenitos videris, nullam omnino rationem habueris. Evidem igitur ita finem constituto huic sectioni, ut contendam, si justa deligatio fuerit instituta, nullam omnino graviorem caussam, quae, ut dolores commoveantur, efficiat, unquam adesse, ideoque eam ipsam ob causam ligaturem magnam inesse, quae in resectione desideretur.

5. Magis minusve deinde tarde atque occulte progrediens vel etiam repente ac subito ex constrictione sese excolens inflammationem, secundum Dupuytren illius (25), Paillard, Marx (40), Blandin (7) et aliorum quorundam sententiam momentum est gravius, quod contra deligationis virtutem dicat atque eo magis persistum, quod inflammationem, propter eam, quae adesse videatur, symptomatum levitatem principio vix potest animadvertisse atque permittit, ut bona spe simus pleni, dum dolores illa excitati, sensim latens sese extendunt, augmentur crescentque et eo vehementiae saepius progrediuntur, ut cor. ventriculus et cerebrum sympathice afficiantur, dum simul totus aegrotae habitus collabitur atque tandem morti illa occumbit, ligature culparum. Jörg ille, qui remotionem polypi ligaturem operatur, cum solutione ovi ab intero, fine graviditatis et tumorum quorundam alienorum comparat, ideoque simplicissimam esse invenit atque maxime naturalem, necessariam omnino dicit sibi videri illam rationem solutionis, ut, quomodo novus rursus polypus succrescat, impediatur. Certum quidem est atque exploratum hunc dejectionis processum, facta polypi pediculi con-

strictione, sine certo quodam inflammationis gradu locum habere non posse; etiamsi deinde infitas ire neque volo nec possum, accidere saeppe, ut jam propter vim acris istius putridaeque sanie (nisi huic malo occurrere studens, idoneas suffisiones praeceperis atque injectiones institeris aptas) et quia ipsum instrumentum in genitalibus remaneat, inflammationis ansa tribuitur, tamen equidem profecto persuasissimum habeo, in iis, qui mortiferum habuerunt eventum, casibus, hasce inflammationis caussas leviores fuisse ac minores, quam quae tam malum extum efficere potuissent; qua praeципue ratione perducatur, ut in Roche illius et Sanson (68) opinionem discedam, qui contendunt, non ita difficile nobis esse et arduum inflammationi ejusque sequelis occurrere, vel remissionem laquei, vel apparatu antiphlogistico. Ea praeterea, quae adhuc experientia atque usus nos docuerunt, sat superque vehementis mortiferaeque inflammationis casibus repugnant; ad quae ea, etiam, quae nos ipsi experti sumus, adjicere placet, quum iis, quos descripturus sum morborum casibus omnia etiam vestigia inflammationis deessent. Factum quidem nonnunquam est, ut simul uteri pars ita diligaretur, ut neque vita neque bona valetudo aegrotae in periculum vocaretur, sicuti Desault (21) nobis assert, cum Dietricho (23), Richtero (66), Fourcroy (29), nonnunquam autem, sicuti Laumonieri, Dessaultii atque Baudeloqui (64) infelicissimi causa demonstrant probantque, sequuta est mors. Etiamsi fallacibus verbis cl. virorum: F. Rousset, J.

Houillier, Benivenii, N. Florentini, Carpi, J. Sylvii, G. Aregae, L. Duret, H. Mercurialis, G. Bauchini, L. Scholtz, A. de la Croix, J. Lang, Volkamer, Severini, Vepfer, Fr. Hoffmann, Zuiniger (conf. 43) nullam fidem tribuimus et Levretto potius, qui ab illis feliciter deligatos uteri descensus, polypos uterinos fuisse contendit, assentiri cupimus, tamen ex eo, quem nobis Launmonier ille tradidit, operationis casu facililime apparet, sicuti deligatio magnae uteri partis mortifera etiam sit, ita non eodem modo rem esse habere, si eam tantummodo partem ejus deligaverimus, cui polypi basis adhaerest. Equidem tamen, quum sententia illa innitar, sensibilitatem atque, ut ita dicam, violabilitatem uteri non modo sed totius organismi, secundum singula individua maxime esse diversas, non possum quin meam quidem sententiam, qua de ea, quae post deligationem inveniatur, mortifera adeo inflammatione ducar, hisce paginulis ita eloquar, ut iterum illam contendam ex nimia quadam proficiisci solere cupiditate, polypos semper omnino in loco insertionis in uterus substringendi, quo efficitur plerumque ut uteri portio simul in ligaturam implicantur atque vehementissimus quidam inflammationis gradus existat. Exemplum etiam, quod Dupuytren ille clarissimus ex praxi sua afferit, ut, quam facile inflammationes illae in deligatione usurpanda exoriantur, nobis demonstret, loquitur potius de vitio isto commisso, quo simul pars aliqua uterina constringatur, atque si Roche et Sanson (68) tamquam primum remedium, quo inflammatio illa impediatur, ligature remissionem nobis

valde commendant, equidem hoc etiam concilium meae sententiae favere contendam.

Ex altera autem parte silentium tenens concedit Dupuytren, facta resectione, plerumque aegrotas inflammationi cuidam subjectas esse et obnoxias, quae, si accederet sanguinis profusio exoptata, minoribus periculis minoreve discrimine esset conjuncta; quo hic etiam est annumerandus casus quidem a Dupuytren ipso, excisionis ope cum pessimo infelicissimo exitu factus, qui signa vestigiaque vehementioris inflammationis aperit; eadem ratione in eo etiam, quem Tschepke (40) instituit, operationis casu, metritis cernebatur.

In tendinosa porro polypi radice, in qua quidem minorem vim eamque multo tardiori exercet deligatio, secundum Jörgii sententiam, summa cautione, summa patientia in deligatione utendum nobis erit, ne nimia festinatione metritis atque inflammatio exoriatur partium propè sitarum cum gravioribus conjuncta doloribus. Quo declaratur, omnino opus esse, ut in vehementiori inflammationis processu, qui propter majorem polypi pedis resistantiam occurrere non modo potest sed etiam debet, nonnisi summa utamur cautione ad illum solvendum et polypum quam tardissime atque sensim constringere studeamus, exitum forsitan noxiun et mortiferum declinaturi. — Jörg igitur (37) simul cum Zang illustrissimo (87), hoc commoti, acriter adhortantur, ut in hujusmodi casibus, resectionem polypi deligi non prius usurpemus, quam donec illa constantissima atque cautissima actio deligationis ope, finem propositum assequi non

possint. Quamvis igitur saepissime experientia declaravit, ligaturam in tendinosis etiam polypis adhiberi optime posse, ita ut vacua omnino sit atque expers vehementiorum inflammationis signorum, tamen cognitum nobis est et compertum, in tendinosis polypis, qui, sicuti peribent Richerand et Dupuytren, omnium creberxime inveniuntur, eo minus metuendam esse timendumque resectionem, quod, quem admodum defensores ligatura studiosissimi consentire solent, illorum polyporum petioli tenues admodum plerumque inveniuntur, atque omnibus omnino vasas carere videntur; ideoque sequitur, ut periculum haemorrhagiae haudquaquam cernatur. Quum igitur polypi colli uterini utique fibrosi sint, profecto contendere possumus a priori, resectionis ratione illos esse extirpandos, id quod contra de iis, qui in aliis uteri partibus successant, haudquaquam statim a priori potest destinari ac definiri; quum praesertim horum polyporum diagnosis, quoad radicis eorum densitatem, non antea, quam ligaturae effectus appauerit, possit confirmari. Quo fit, ut multi, praesertim Siebold (76), Hauck (70), Loder (45), Richerand (64), Richter (65), Simon (79), tendinosos, fibrosos atque duros polyporum pediculos omnino ad resectionis indicationes acriter adnumerant. Richter autem hisce in casibus ligaturam resectioni praemittit, sicuti et Siebold. Blandin (7) etiam sententiae illorum assentitur, apud fibrosos polypos omnino resectionem esse instituendam, qui quemadmodum tenuibus untantur pedunculis, ita satis alte in vaginam de secederint, ut digitis eos assequi liceat, quan-

tum sit volumen et circuitus descripturis et examinantibus, num forsitan majus aliquod vas continant. Si, quomodo cl. Jörg testatur (37) unquam polypi apti inveniuntur atque idonei, qui forifice recessentur, tum sine dubio ii sunt, qui tendinosis pedunculis sint instructi, ita ut facile nobis eos attingere liceat. Breschet (34 et 77) eandem fert opinionem atque in iis etiam casibus excisionem adhibendam fore contendit, in quibus, multis jam diebus post ligaturam elapsis, polypus nondum solutus est. Carus (13) omnino Jörgii sententiae, modo commemoratae, faciet. Chelius (16) Breschetti ducitur opinione. Ex omnibus hisce laudatis, quibus illustrissimi homines tenebantur, sententiis facile erit ad intelligendum, ea omnino quae ex nostris ipsorum examinationibus sequuta sint confirmari probarique, nempe polypos illos tendinosos, fibrosos, magis esse idoneos, qui sectione tollantur, sicuti equidem eas virtutes quae hoc in causa ex illa methodo prosluere soleant, diligentius jam computavi.

Dicitur deinde peculiaris quaedam et propria esse, ligaturae conjuncta, secundaria ista pelvis et uteri venarum inflammatio; cui quidem sententiae Paillard etiam et Marx assentiri videntur, maximi illius chirurgi opinionem temere sequuti, quum Dupuytren ill. ipse confiteri non dubitet, sibi nunquam occasiones oblatas, hocce, e sectione instituta, demoustrandis. Illi autem uterque non magis quam cl. eorum popularis, accurriora, quibus illud demonstretur, argumenta appellant, neque omnino fusiis hac de re agunt. Equidem autem,

quanti sit illud vitium existimandum, quod ligaturae criminis detur, ipsis lectoribus examinandum relinquam.

6. Accedit adhuc locus quidam, quem Dupuytren ill. ligaturae methodo tamquam vitium objiciendum esse contendit. Laquei delapsum in genere vulneris cicatrisatio subsequitur, quo facto profluvia extemplo remittunt desinuntque, nisi alia quaedam causa reperiatur, quae quominus cesserent, impedierit. Nonnunquam autem affectus isti, per ligaturam effecti, longius temporis spatium perdurant, postquam ipsa ligatura jam est soluta, atque, etiam si minorem utique terrorem efficiant, tamen satia idonei sunt, qui mortis sint anaes. Plures scriptores, hoc verum omnino esse rectumque, satis exemplis permultis probasse dicuntur. Cuius generis illi fuerint affectus, accuratius quidem non est annotatum; attamen euidem etiam apud nullum eorum auctorum, quorum scripta, parvulum hocce opusculum compositurus, pervolveram, certius quid de hac re inveni. Si forsitan sub istis affectibus vehementiora sanguinis profluvia intelliguntur, quae deligationi criminis dantur, euidem ad ea, quae in sequenti sectione dicentur, delego.

7. Unica deinde, quae plerisque eorum, qui modo accuratius mihi expositi sunt, affectuum non solum, sed etiam toti eorum, quae a Dupuytren ligaturae criminis dantur, incommodorum atque periculorum multitudini opponi possit, causa — metus timorque esse dicuntur sanguinis profusionum; quam quidem rem inde a primis temporibus, resectionis

tutoribus deligationis assetatores objicere soliti sunt, tamquam gravissimum esset momentum et praecipue, quominus operatio ista sectione perficeretur, impediret, ita ut illam causam maximum esse argumentum, quo, istam extirpationis methodum rejiciendam esse, confirmetur, contendant. Minime certe in dubium licet vocare, quin vehementiores sanguinis jacturae apud hasce potissimum aegrotas jam ideo valde sint timendae, quod jam ea, quae antegressa sit, fluidorum jactura, admodum sunt confectae, quin etiam totum statum in vitae discriminem adducere possint, atque praeterea quaque sanguinis gutta eo pluris sit aestimanda, quod remedia haemostatica in ipsis corporis partibus valde angustis finibus sunt coercita contentaque; namque uterus pondere suo liberatus, in pristinum situm celeriter restitui solet, quo fit, ut nonnunquam haudquaquam remedia topica adhibere possumus. Quoque in opusculo, ubi de polypis tantum fusiis disseritur, hunc potissimum locum illustrari pro certo atque explorato habemus. Maxima scriptorum multitudine, periculum illud nimiae sanguinis profusionis, e theoreticis cogitationibus profectum, tamquam maximum atque mortiferum consideratur, euidem nomina tantummodo quaedam appellabo Levretti (43, 44), Loderi (45), Rahlfii (31), Ringii (67), Hauckii (70), Burnsii (11), Zangii (87), Jörgii (37, 38), Clarkii (17), Neumannii (56), Steinhau-senii (70), Deguissii (20), Blandini (7), Boyeri (8), Chelii (16), Breschetti (22), Armingi (40) et aliorum ut inde declarem, quam late pateat metus ac timor hujus momenti — qui rumoris ad in-

star ab altera medicorum generatione ad alteram quasi propagatur, qua in re pauci tantummodo reperiuntur, qui hanc causam diligentius examinavisse videantur. Dupuytren contradictionem esse contendit, si quis in excisione uterini colli perficienda, bistouri illud usurparet atque ligaturam contemneret et idem hocce bistouri in polypis repudiaret, qui eadem ex tela consisterent, ex qua consistit collum uteri, ita tantum ut tenuiores sint neque tam multa vasa contineret. Nulla autem habita ratione, falsam omnino esse hanc ultimam comparationem, attamen illud praecipue contemplemini, excisionem colli uterini unicam omnino esse rationem, qua illa pars removeatur, hoc igitur in casu nullam remanere medico electionem, num hac an altera innocentia quadam utatur ratione ad eum finem; quae ratio si existaret, multis habituram esse assectatores, certum habemus cognitionemque.— Sunt deinde quidam chirurgi, qui istum timorem haemorrhagiarum iis tantummodo casibus coerceant, ubi vel interna instituta exploratio vasorum pulsus ad polypi pedunculum, vel ubi ocularis inspectio adesse illa manifeste demonstrarent (sicuti Levret, Eschenbach, Vacoussain experti sunt); iidem medici, ut deligationis methodus hic resectionis praemittatur, commendant, quod quidem praeter alios multos Roche censet cum Sansonio (68), Boivina ac Dugès (8), quin ipse Mayer (46), Velpeau (83), Siebold (76), Dupuytren (25) huicce assentimur sententiae. Richter (65) resectionis indicationes proposuit, et haemorrhagiarum quidem nullam omnino facit mentionem, semper autem illi deligationem

praemittere solet. Horlacher (70) deinde pulsationem istam in falsa quadam animadversione positam esse dicit, ut quae in ipsa manu deprehendatur. Mende (54) e contrario contendit, omnino necessarium non esse, ut petiolus vasculosus prius jam deligaretur, quum praesertim in *vasculosis et carnis polypis*, vasa illa, in pedunculo posita tenuiora semper essent et rariora quam in *polyporum corpore*. Nonnulli deinde, si forsitan haemorrhagiae occurrerent, injectiones variis generis atque obturamenta (*tampons*) adhiberentur, acriter praeceperunt.

Alii quidem, inter quorum numerum Dupuytren etiam ill., Simson ac Blandin sunt referendi, haemorrhagias dixerunt antiphlogisticum aptissimum habendas esse contra eam, quae forsan exoriri possit, inflammationem; quod quamquam ex artis praceptis verum omnino sit atque rectum, tamen in uno isto casu, ubi Dupuytren ipse post reactionem institutum expertus est haemorrhagiam, aegrota nihilo tamen minus peritonite affecta, mortem occubuit.

Si autem porro, num experientia ususque doceant, haemorrhagias omnino animadverti, quae sieris et quonam gradu, cognosces facile casum quandam Zacuti Lusitani (86) haemorrhagia mortem progignente esse finitum, qui quidem primo tempore omnes medicos, quomodo resectione uterentur deterruisse videbatur, sed sicuti Boyer (9) testatur, nihil omnino, si accuratius rem consideraveris, demonstrat. Alter deinde casus cuius James Syme (81) facit mentionem, nullo pacto deligationis usurpandae

necessitudinem nobis probat; nam polypi petiolum transigens acus, prosector, uti vero est similimum, in vas aliquod inciderat, atque vasa incisa (angestochene) multo vehementius sanguinem mittunt quam ea, quae perscissa (durchschnitten) fuerint. Simson (79) quidem exemplorum mortis, nimia sanguinis jactura provocatae, facit mentionem, ita tamen ut ea non longius persequatur. Experientia deinde edocemur quidem, exitum resectionis mortiferum esse posse (46), sed illud perraro tantummodo nimia sanguinis jactura accidisse, haud ignoramus; nam cl. Dupuytren inter ducentos casus, in quibus sectione utebatur, per praxin viginti annos durante, bis tantum haemorrhagiam sequi cognovit, quae brevi obturaculorum (tamponade) admotione curabantur, quod et Richerand (64) ill. etiam atque etiam commendat. Velpau (83) inter octo, quas instituit, resectiones nullam sibi haemorrhagiam occurrisse enarrat. Osiander (38), qui primus Germanorum omnino in resectionis partes discessit, operationes quas instituit felicissimo semper eventu coronatas videbat. Siebold (76) atque Simson, quamquam appellant remedia, quibus haemorrhagiae sedentur, tamen nunquam profecto in praxi sua haemorrhagias prehenderunt. Mayer (72) porro, Hervez de Chégoine (34), Villeneuve (85), Lejeune (42), Horlacher (70) experientia sua edocti, rem istam omnino unquam occurrere negant; quo hoc etiam accedit, quod plures deligationis assetatores felicissimo eventu ac prosperrimo forficis ope insituerunt operationes, in quibus nullae cernebantur haemorrhagiae.

Quamquam igitur persuassimum habeo, haemorrhagias perraro tantummodo post usurpatam resectionis methodum inveniri, tamen Dupuytren magnam sanguiferorum vasorum multitudinem in sectionis superficie animadvertisse, haud ignoro. Quomodo igitur illud quasi aenigma erit solvendum, quum praesertim alii etiam medici non desint, qui vasa voluminis haud mediocris vidisse sibi dicantur, praesertim apud majores polypos, quae teste Dupuytren, in pedunculi centro posita sunt. Boyer (9) quidem, maximos polypos nonnunquam minima vasa continere contendit; hoc autem minime, quomodo fieri possit, ut omnes deint haemorrhagiae, nobis clare intelligere licet; qua commotus ratione, a priori jam equidem meam enuncio conjecturam, utpote qui in falsa quadam animadversione illud collacatum esse opiner. Dupuytren quidem arbitratur, forficem, quia secans magis comprimat quam libera illa eaque semel facta sectura bistouri istius, minus ad haemorrhagias proclivitatem praebere. Mende (54) deinde auctore, facta excisione, vasa sese retrahunt; Kilian (39) etiam magnam illis vim retractilem inesse contendit; quo accedit hoc etiam, quod vasa, per motum uterinæ massæ, quae, facta polypi solutione, pristinam libertatem recuperat, eodem fere temporis momento comprimuntur. Qui igitur aliqua certe ex parte explicationis sunt modi, sed nondum sufficienes. Recentioribus autem temporibus, ubi citatissimo cursu pathologica anatomia progressu et quotidie novis perscrutationibus experientia augetur, polypi iterum examinationi ac-

curationi subjecti sunt indeque viderunt medici, eos plerumque ostendere cellulosam, maximopere sanguine pertextam telam, nunquam autem revera continere vasa, sed tantum canales quosdam irregulares, qui sanguine implentur tandemque, postquam sanguis ille, propter venarum defectionem non rursus reductus est, perumpuntur. Nicolai (70) etiam, polypis nulla omnino inesse vasa, affirmat. Simson atque Hauck (70) nonnisi in basi polyporum, arteriorum quaedam vasorum ora sese reperiisse dicunt. Breschet (22) nunquam vasa invenit sed sinus tantummodo. Carus (13) eodem modo cava quaedam in polypis esse contendit neque vero vasa. Si igitur per sectionem continuatatis interruptio efficiatur, nulla alia cava nisi ea, quae ad sectionis faciem inveniuntur, aperiri solent, quae deinde emitunt eos, quos continent, humores sanguineos, ideoque ansam dant haemorrhagiарum non ita magni momenti. Numquam haecce haemorrhagia gravior esse potest, quia sinus vel canales cellulosaе pedunculi portionis remanentis irregulari ratione et magis minusve indirecte cohaereant cum ipsis uterinis vasis; quo accedit, ut interna uteri superficies, quae (in singulis casibus) antea accedebat ad convexam formam, simul cum sanguiferis suis canalibus, ea ratione jam magis apertis, in altitudinem trahitur, et secundum formam normalē concava redditur; tunc temporis canales ita comprimuntur, ut postea etiam sanguinis profluviū omnino animadverteri non potest. Sin autem vera vasa polypis inessent, possent profecto, nulla habita ratione istius compressionis

per telam uterinam, tamen parietum suorum elasticitatis ope, naturam essentialeм suam vasorum rursus ex sese adipisci et postea ansam praebere haemorrhagiae. Canales tamen, quoque proprio ac peculiari pariete carentes, compressi permanent, conclusi atque coalescunt propter inflammationem polypi residuum abstrudenter, ideoque prohibitum omnino est, ut unquam haemorrhagia cerni possit. Talis quidem tunc temporis, majoris esse possit momenti, quum non satis haberet uterus contractilitatis, nimia esset passivitate, quam qui pristinum suum situm rursus obtineat, vel tum etiam, si in ejusmodi statu hujus organi polypus omnino non excedit sed remanet in utero (huiusc ore simul aperto), atque alia quaedam symptomata operationis institutionem postulant, quo quidem in casu magnam deligationis rationi concedo palmam esse deferendam. Hinc igitur facile vos intellecturos esse confido, summum illud crimen atque opprobrium, quod in resectionem soleat jactari, nempe hämorrhagiam injustum omnino esse et inane.

Sed altera etiam a parte hujus rei ratio est habenda. Ut enim supra jam, quum de lata bassi tamquam deligationis indicatione loquebar, contendi, ita polyporum diagnosis haudquam firma est atque stabilis et commutatio eorum cum aliis quibusdam similibus muliebrium genitalium productis morbosis nunc etiam saepius reperitur. Dupuytren, Bayle, Louis nominatum saepe commutationem istam cum fibrosis tumoribus in sese admittunt. Mende porro haud dubie loquitur de fungo haematode si

mentionem facit polyporum, qui ex generali vitirosa quadam organismi conditione profecti sint et quoque tactione tota ex superficie sanguinem mittant. Meissner (53) enim hanc rem nonnunquam modo maxime probabili illustravit atque accuratius explicuit. Quaenam ex eorum, de quibus sermones feruntur, operationis methodus potissimum, si commutatio ista, postremo nominata, occurrerit, sit adhibenda, non satis medici inter sece consentiunt. Mende omnino, ne deligatio unquam usurpetur, suadet, quum praesertim tumor ille, omni tactione sanguinem fundens, tum praeterea etiam super ligaturam sanguinem mittere inciperet, quare quidem resectionem unicam rationem satis securam esse tutamque affimat, quam remedia quaedam fortiora hämostatica subsequantur. Richerand e contrario excisionem polyporum, sanguinem mittentium minime quidem dicit pravam esse et vitiosam agendi rationem, tamen deligationem multo esse potiorem et anteferendam arbitratur. Ex iis deinde, quos Meissner (53) observavit, casibus satis clare, non modo ligaturam, sed resectionem etiam felicissime evenire posse intelligitur; atque praeterea prima in observatione resectionem nullo pacto hämorragiam, in tercia autem ligaturam, propter complicationem cum steatomate, peritonitidem progenuisse videmus. C. Mayer (47) sicuti ter in similibus casibus resectione usus est, ita semel tantummodo felicem exitum vidit. Caeterum Meissner ipse ligaturam statuit in tumoribus fungosis non aliás esse usurpandam, nisi ubi ad resectionem perficiendam digitos vel manus non usque ad in-

sertionis locum in interiore uterinam superficiem possis immittere, alioquin propter mollitudinem telae horum tumorum, filum ligatorium radicem facililime persectat. In hoc igitur casu nihil tamen minus absolute mortifera haemorrhagia haudquaquam nobis timenda est.

Sicuti igitur secundum veritatem, minime solito isti, quod in resectionem jactatur, opprobrio approbationem meam tribuere possum, ita profecto eandem ob causam injusto isti criminis repugnare debeo, quod ligature nempe etiam vehementiores haemorrhagias conjunctas esse contendunt. Mende, sine ullis argumentis, deligationi junctam sanguinis profusionem multo majorem esse dicit, quam post resectionem. F. A. Walter (85) ne haemorrhagia mortifera deligationem subsequatur, magno timore tenetur, si quidam humores vel pili in polypi pedunculo adsint atque acriore mollis radice constrictione haec omnino persecetur, qua in re vasorum lumen manent aperta; hanc autem haemorrhagiam, etsi resectione usus fueris, nunquam tamen poteris evitare. Kilian haemorrhagias, post ligaturam, postquam polypi dejecti sunt, occurrentes maxime in lucem profert. Si igitur haemorrhagiam illam parvam quantitatem dicit sanguinei-serosi humoris, qui illo in casu plerumque effluat, tum certe mihi, sententiam ejus non falsam esse, erit confitendum. Eodem autem tunc tum resectioni etiam radius sanguinis criminis dari potest, qui eo temporis momento, quo polypus in externam vaginae aperturam excedit, prorumpit. Dupuytren enim per contusio-

nem atque distortionem vaginae vasorum effici contendit, caeterum nihil omnino inde mali procedit. Dubois (22) autem saepius, postquam solutus est laqueus, sanguinem emanare viderat atque hoc modo multas aegrotas mortem occumbere observaverat. Evidet, quamquam minime experientiam hanc in dubium vocare cupio, tamen haudquaque me intelligere confiteor, quomodo fiat, ut illo in casu resectionem non idem sequi possit infelissimus eventus, quippe in qua ne compressio quidem, neque coaguli formatio neque denique cicatrisationis processus praecedere posset. Casus deinde quem Ceder-schjöld (14) expertus est, minime, sicuti Meissner etiam dicit, ligatura in crimen verti potest, quum haemorrhagia ista, quae polypi operationem erat subsequuta, non ex ipso proflueret polypo. Casus similis a cl. Gooch (30) observatus, etiam nihil probat; polypus enim continuatio erat portionis vaginalis, quae deligata haemorrhagiam provocavit, deinde in exulcerationem transivit, atque denique perforationi cavi peritonaei ortum dedit. Si porro, hujus rei habita ratione, Dupuytren dicit, perraro tantummodo fieri posse, propter profundorem, centralisque arteriarum situm in polypi pedunculo, ut circulatio ligaturae ope cohibeatur, hic maximo errore tenebatur, id quod propriis nostris observationibus maxime repugnare videtur, quum fortis firmaque constrictio statim, ut profuvia e vagina cessarent, efficeret. Ceterum hoc etiam est reputandum, Dupuytren cl. sibi ipsi contradicere, idque ita, ut in nostrum veriatur favorem, quum de polyporum solutione loquitur,

quae propter circulationem, et vitam fibrosae mas-  
sae, ligaturā interruptam, efficiatur. Est profecto  
nihil magis secundum rei naturam, quam quod  
per constrictiōē laquei ope, sanguinei cana-  
les comprimentur (magis autem, quam apud re-  
sectionem per ipsam uteri telam) atque per in-  
flammatorium processum suppuratio ac detru-  
cio polypi efficiatur, quae quidem polypi solu-  
tio priusquam finiatur, quasi reformatio ista  
uteri (Rückbildung), quae simul cum illa initiu-  
m ceperat, terminatur et omnino accidere non  
potest, ut haemorrhagiae unquam exoriantur.

III. Devenimus nunc ad ultimum locum,  
qui ad rem nostram pertinet. Inde ab omni  
tempore multum homines loquuti sunt de po-  
lypi regeneratione, atque commoti, ut no-  
va, quae interdum occurunt, morbi recidiva  
ei operationis methodo, quae antegressa erat, in  
crimen verterent. Jörg ita (37) et Zang (87) in  
resectionis methodo morbos recidivos facillime  
exoriri affirmant. Neumann (56) nunquam sese  
polypos post factam deligationem regeneratos  
vidisse dicit. Ringe (67) idem se quoque ex-  
perimentum esse contendit. Steinhausen (70) autem  
ligaturae tutores in studio suo justo longius pro-  
gressos esse censet, si hac operationis ratione  
spem afferre firmam obtineant, fore, ut nunquam  
amplius regenerentur polypi. Secundum Schmidtii  
sententiam: „regeneratio hac methodo tutissime  
„non cavetur; caeterum resectio certe minime ei ce-

„dit.“ Simson hanc afferit, tamquam „praestans-tissimam omnium resectionis virtutum, qua certissima nobis eveniat spes fore, ut nunquam regeneretur vitium, in deligatione vero haud raro polypus novum cepit incrementum;“ quod ut demonstratur Steinthal ejusdem casus (77, VII, 2) appellatur et crimini datur deligationi, quod polypus, quamquam ter esset devinctus, tamen totidem succrevisset. Stonii casum (80) deinde resectioni non objiciendum fore contendunt, quod ille polypus, quia maxima esset praeditus radicis latitudine, a Caro omnino ad seatomata atque sarcomata fuisset referendus. Dupuytren post resectionem cognovisse videtur polypum succrescere, tamen hoc opprobrium jactat in deligationem. Siebold (76) deinde post resectionem recidivos polypos non metuit, Carus eos omnino initiatur. Kilian autem (39) omnino, utramcunque operationem adhibueris, regenerationes istas inveniri negat, quippe qui ex uno eodemque uteri loco non duo polypos nasci posse affirmet. Horlacher (70) qui polypos lipomatibus simillimos esse existimat, haud quaquam post resectionem regenerari eos posse, obtinet; caeterum assertio cur hoc fiat, falsa est atque prava; resectionem enim proprius ad uterum fieri posse dicit, deligationem autem ad polypum proprius institui.

Si deinde, quenaam potissimum ab utraque medicorum fatione, cause regeneracionis istius adhuc sint appellatae, diligentius perscrutamur, facile viriusque operationis fautores, polypi portionem residuam remansisse, plerumque putare, videbimus; quo factum est, ut multi ne-

cessarium omnino esse arbitrarentur atque magnopere commonerent, ut polypi pedunculus quam altissime vel potius ipso insertionis loco substringeretur, atque si resectionis methodus usurpata fuerit, sectio quam altissime ad uterinam superficiem fieret. Mende ita (54) omnino agendum esse confirmat. Dupuytren deinde eodem modo nullam aliam opinatur adesse causam, cur redeat morbus, nisi quod partes quaedam affectae telae remanserint, idque in utraque operationis ratione fieri posse existimat. Censet deinde in ligatura methodo ideo tantummodo necessitatem istam (quod nempe filum quam proxime ad radicem traducatur) in dubium vocatam suis, ut impedimenta ista removerentur ac difficultates tollerentur, quas huicce deligationi conjunctas videmus. Siebold (76) etiam polypum nullum, si ad locum adhaesisionis recusis esset, incrementum unquam capere potuisse docet. Blandin (7) ea ducitur opinione, ut solutionem polypi eo tantum loco, quo sit substrictus, locum habere dicat.— Jam Levret mortificationem polypi in locum conjunctionis cum substantia uterina propagari solere obtinet, etiamsi paullulum inferius facta fuerit deligatio; id quod facta etiam a Loder (45) observatione firmatur, qua polypus non omnino ad raditem suam deligatus, omnino solitus est, neque morbi recidivum reperiebatur. Rahlf (31) item Levreti sententiae assentitur. Hauck (70, II, 2) verbis suis, quae dicit: „Die Schnur umgibt jetzt die Wurzel oder wenigstens die kleinere Peripherie des Polypen.“ illorum sententiae approbationem suam impertit. Sicut Richerand (64) prohibet, constrictione, parvo inter-

vollo interjecto, instituta non minus totius tumoris solutionem effici. Secundum Neumannii judicium (56) etiamsi ad finem non potueris progredi, pars semper emoritur, neque ita unquam polypi regeneratio reperitur. Patrix (60) item in illam discedit sententiam, non ita procul a radice esse persecandum. Velpeau hac de re ita judicium facit, ut mucosos polypos, atque eos, qui magna vasa contineant eosque, qui, quin in uterinam telam propagentur, non sit dubium, quam proxime ad locum adhaesionis esse devinciendo contendat, id quod haudquaquam dicit in iis esse necessarium, qui re vera aliena corpora in utero ostendant, in fibrosis, in lardaceous iisque qui vacui sint vasae. Ringe (67) hac in re, ne simul apprehendatur replicata uerbi portio summopere metuit. Stone demonstrare emititur (80) pedunculi residuum super ligaturam remanens in fibrosis certe polypis per absorbentem vasorum actionem disparere; quod quidem in molibus illis tumoribus basique latiori non inveniatur. Burns (11), Campbell (12), Richter (65) acriter postulant, ut polypi petiolus proxime super tumorem deligetur. Kilianum etiam constantissime has partes tenere videmus, atque poscere, ut polypus paene inter medium ejus corpus et internam superficiem uteri, si gravior sit causa et difficilior, potius quam proxime ad prius deligetur. Hac igitur ratione non solum totum deligationis negotium valde sublevatur, sed etiam, quominus portio uterina simul apprehendatur, impeditum videmus. Trollet (18) eodem fere modo, quo Loder, efficit, ut totus polypus ita solveretur, ut, quamquam

laqueus totum digitum infra adhaesionis locum applicatus erat, tamen, quem jam tres anni transacti essent, nulla amplius morbi renovatio cerneretur. Kilian deinde, contra Horlacherum, ut etiam resectio ad polypi corpus quam proxime feratur contendit, ne uterinum corpus violetur laedaturque. Gensoul (18), si semel tantummodo firmiter constrictio fuerit instituta, nondum sufficere censem, ut, quominus novus progignatur similis parasitus ex petioli residuo, impediatur, id quod nonnisi constrictione gradatim instituenda perficias, quem inde efficiatur, ut inflammatio altius sese extendere soleat atque hanc perfecta polypi solutio sequatur. Negari tamen jam primo aspectu non potest, Gensoul illum longius suisse progressum, quippe qui contendet, petiolum in basi sua solvi, etiamsi ligatura tantummodo corpus polypi circumscripsisset; qua quidem in re Boyer illius cl. (9) conjecturas omnino confirmatas esse videmus, qui nimis iusto inferiorem deligationem ideo tantum noxiā esse contendat, quod multi medici, quoniam ita faciliter deligatio perficiatur, majorem polypi partem in utero remanere patientur; quo in casu polypus facile incrementa capere possit. Nihil tamen minus haudquaquam nobis Gaoch (30) nimius in dicendo suisse videtur, si magnopere auctor est, ut quam profundissime super tumorem istum deligatio instituatur. Caeterum omnino hypothetica mihi ea videtur opinio, qua tenetur Kilian (39), si operationem unius polypi, praesertim deligationem sufficere sibi videri pronuntiat, pluribus simul polypis praesentibus, ut ceteri omnes facile extinguantur.

Nos igitur, postquam ita modo, quae hac de re virorum clarissimorum atque rerum peritissimorum sententiae sunt divulgatae, satis cognovisse nobis videbamur, jam ipsi, si nostra eloquenda fuerit opinio, solis istorum auctoritatibus confisi, non ita facile prorsus, qua nos quidem teneamur opinione, explicare possumus, quippe qui judicia hic inveniamus, omnino inter sece discrepantia atque contraria. Sit igitur utilius salubriusque his, quae experientia cognita sunt, viam etiam rationi subjectam subjungere.— Uti quisque sine dubio statim perspiciat in ipsa operationis ratione nulla posita esse potest causa, qua polyporum regeneratio efficiatur. Igitur, illud quum perspectum habeamus, porro nobis erit quaerendum, num secturae forsitan culpa sit tribuenda illa quidem a parte, quod, sicuti Jörg perhibet, nulla reperitur suppuratio, qua tollatur pathologicus processus. Suppuratio ipsa per se (vel, uti Stone testatur, resorbtio) evertit polypi pedunculum, post resectionem institutam remanentem, — atque deinde videmus, sicut aptissimo modo Kilian contra dixit, magnas quasdam lipomatosas, sarcomatosas et similes massas, sectione adhibita, a corpore disjungi, post quam agendi rationem neque flaccescendo, neque suppuratione pathologicus ille processus extinguitur. Duplici igitur modo Jörgii opinionem falsam habendam esse, videre nobis licet. Itaque hinc sequitur, ut, quemadmodum resectioni, item ligatura handquaquam justam ob causam criminis dari possit, quod polyporum regenerationi favere videatur, atque sententia sacra prius jam pravo modo usurpata, hoc etiam casu

falso adhibitam invenimus, nempe illud: „post „hoc ergo propter hoc.“ Hac autem in re hoc etiam annotandum mihi videtur, haudquam ullo modo, sicuti Boyer opinatur, tam facile esse, terminos certissimos constituere inter uterum ac polypi petiolum per maxime diversos colores, structuram, densitatem ac sensibilitatem, quum ex Meissneri (53) recentibus investigationibus cognoscamus polypos membrana mucosa obductos, eundem non solum colore habere sed etiam magis minusve ipsius uteri densitate gaudere. Dupuytren contendit inde plerumque nova affectionis recidiva oriri, quod, facta jam operatione, tumor in degenerationem transierit, qua igitur in re pituitaria etiam membrana simul est affecta, et radicitus extirpare illud malum non liceat. Hac igitur ad novas tentationes proclivi affectione, ubi omnis ideo morbosa massa erit removenda, omnes conditiones, quibus, quominus polypus ad' radicem usque attingeretur, impeditur, omnino noxiae habendae sunt ac perniciosae. Caeterum id mihi omnino persuasi, multos casus, qui videntur uterini polypi recidivi, non re vera ejusmodi esse, sed in alia re positi; namque saepius accidere solet, ut in utero plures simul uno eodemque tempore polypi inveniantur, qui plerumque vario modo, quod ad amplitudinem pertinet, sunt exculti; si forsitan igitur extirpatio maximi illorum jam est instituta, minoribus illis relictis, quorum non nunquam ne minimam quidem antea rationem habueras, per eam, quae jam adsit vitiosam succorum directionem, satis ansae tribuatur, quo celerius sese excolant crescantque, quum ille

jam antea sublatus hisce, hac quidem a parte, haud amplius possit officere; quae quidem sententia Kiliani etiam approbationem habet. Hoc quidem modo, nisi res se haberet, qui tandem explicare possimus polypos tam celeriter intra quatuor mensium, quin etiam quatuordecim dierum sese excolere.

Quod deinde causam proximam, qua polyporum regeneratio efficiatur, pertinet, ex mea quidem sententia affectiones redeuntes, quae tamen non admodum saepe inveniuntur, in ipsa aegrotae constitutione positae esse videntur. Habet enim satis cognitum perspectumque polypos non solum, sed alia etiam morbosa producta saepius non in mere topicq statu affecti organi originem suam ac fontem habere, sed saepissime locales quasi reflexiones universalium affectionum, sicuti dyscrasiarum ostendere — id eoque in universali quidem collocata esse dispositione, attamen propter localem dispositionem ad singulare quoddam organon vel corporis partem dirigi solere. Quum igitur tuberculosam, fungosam existere dyscrasiam non possis dubitare, quid tandem est quod obstat, ne eodem modo proclivitas etiam quaedam ad polyporum conformacionem reperiatur; quam proclivitatem ex diversis causis ex. gr. scrophulosis, syphilitide et sic porro progigni posse persuasum habeo. Hic si sola extaret localis uteri opportunitas, aliter forsitan illa sese ostenderet, quam per conformatiōnem istius excrescentiae. Regeneratio igitur, si omnino invenitur, ex internis causis progignitur. Tum profecto, postquam suscepta est extirpatio, quacunque vis methodo uti, nondum

omnino remota universalis dyscrasica praedispōsitione, vasa ad innormalem istam nutritionem idonea atque proclivia, facilime hujusmodi liquorem secernent vel tales conformabunt depositiones, ex quibus paulatim novus exoriatur polypus. Haec igitur sententia, qaae cl. Waltero (87) etiam maxime est probata, omnium mihi rectissima atque optima esse videtur.

Huic quidem opinioni indulgens equidem, quum, opusculum hocce compositurum, virorum clarissimorum scripta legerem, valde me miratum fuisse confiteor, quod isti momenti sat magni nullam, ne minimam quidem rationem habuerunt, nempe ut fonticulus applicaretur proxime ad locum affectum. Meissnerum tantum (53) mentionem hujus rei fecisse, inveni, neque tamen ubi de polypis loquitur, sed tantum de tumoribus fungosis uteri. Jam ideo utique, quod tam variae magis minusve copiosae secretiones ex utero cernebantur, admonere medicos debuisse, ut post operationem hoc remedio uterentur, infinitas ire nobis non licet. Fuerunt nonnulli, qui resectioni criminis dare cuperent, quod tam repente tumorem removeret, attamen ne hoc quidem contra dicentes, illius remedii sunt admoniti. Verumtamen hujuscem applicatio eo magis exoptata videtur, si reputaverimus, perdurante interna opportunitate vel ignota dispositione, ejusmodi acriorem etiam stimulum, quo omnino morbosa, plastica actio educatur, derivatur in partem externam, omnino fere esse necessarium. Praeceptor noster, summe venerandus, P. U. Walter hocce remedio palliativo semper usus est, atque nunquam accidit,

ut rursus incrementa caperent parasiti; id quod equidem tamen, minime me tamquam deligationis virtutem considerandam putare, repeto. Cae-terum in iis, quas nosmet ipsi fecimus, observa-tionibus numquam, postquam operatio jam erat instituta, morbos affectus inveniebantur; id quod altera certe ex parte efficientiae fonticuli derivantis est adscribendum.

Si deinde, priusquam capiti huic finem con-stituam, ea, quae ex observationibus nostris se-quuntur, diligenter considerare studuerimus: haec fere, quae sequentur, graviora esse momen-ta, facile erit ad intelligendum.

1. Neutra operationis methodus sine ul-la exceptione sola adhiberi potest in om-nibus casibus, sed usus, consuetudo ei peritia medici maximam vim hac in re exercere videntur; sunt autem singuli quidam casus qui omnino, ut vel haec vel illa extirpationis via usur-pe-tur, efflagitant.

2. Resectionis methodus majoribus juncta est impedimentis ac difficultatibus et peri-cula etiam haud levia continet.

3. In Deligatione e contra praeципue secundariorum symptomatum habenda est ratio, quae, quamquam nonnunquam pericula produ-cere possint, tamen facile tolluntur. Resectio etiam non omnino hoc viilio vacat.

4. Affectus deinde urgentes, qui ex ipso morbo profiscuntur, instanter, ut quam ce-lerrima fiat remotion, poscunt, ideoque ut re-sectionem adhibeamus, hortantur.

5. Profluvia sanguinis apud resectio-nem minime sunt metuenda.

6. Altiores, fundi uterini polypi, in utero adhuc haerentes, polypi molles, ii deinde, qui majore praediti sunt volumine deligatione sunt removendi; minores autem polypi, fibro-si que qui altius jam descenderint, cum polypis colli atque oris uterini resecandi sunt.

7. Quod polyporum vel deligationem vel resectionem omnino ad locum insertionis instituere student, vana atque inanis est cautio, ita ut e contrario saepe perniciosa esse possit.

8. Nunquam omitenda est fonticuli ap-plicatio vel antequam fiat operatio, vel statim postquam jam est fasta.

9. Morbi recidiva re vera non inveni-untur atque semper, quominus occurrat sic dicta regeneratio, impeditre possumus.

---

## Observationes.

I. Matrona quaedam N. N., 28 annos natata, teneris ac teretibus membris, subflavis capillis, quae imbecillior quidem natura, graviori autem morbo numquam erat correpta atque semel anno 1827 sine difficultatibus partum ediderat, duos amplius abhinc annos de menstruorum malo quaeri coepera, quum menstruae purgationes inordinatae, crebrae, nimiae cernerentur, ita ut noununquam vero sanguinis profluvio similes viderentur, quum temporis intervallis pituitae modo albae modo fuscae ejusque profusae secretio e genitalibus accederet. — Circa pelvim, praecipue autem in sacra regione saepius aegrota graviores prementesque dolores, interdum parturientium doloribus similes sensit, qui nunc mitiores erant, nunc autem in majorem vehementiam progressi; quibus omnibus hystericae quoque molestiae varii generis erant conjunctae. Exploratione interna non instituta, admodum varia medicamenta, quibus haecce menstruorum turbatio sanaretur, aegrotae a medico sine ullo fructu proscribebantur; ita ut molestiae non modo eadem manerent sed valde etiam in majus augerentur, quo aegrotae corpus

haud parum emacruerit. Postulata tandem atque concessa etiam interna exploratione, medico, qui ejus curationem susceperebat, magnus idemque totam vaginam implens polypus sese ostendit; nec vero ille, instrumento simillimo coronae roseae religiosae (*Rosenfranzwerkzeug*) polypum substringere potuit, quum filo polypi pedem circumligare omnino nequiret. Medio Julio mense anni 1833, aegrota ad P. U. Walterum praetorem nostrum, qui tunc temporis Wolmari medicinam exercebat, consultandi causa se contulit. Aegrota tam erat confecta, ut alio tantum adjuvante, incedere posset, macie deinde extabuerat, pallida erat, coloreque cerae albae simillimo, quibus omnibus hoc etiam accedebat, quod post meridiem semper circumscripiae ac rubricosae in genis maculae cernebantur, atque arteriarum pulsus tam erat frequens ut intra sexagesimam horae partem 125 ictus numerarentur, simul vero debilis, mollis atque parvus; praeterea parum somni aderat, una cum cibi satietate, dum vehementior sitis non defuit, neque alvus obstructa est desiderata, aegrota insuper gravem quandam ac prementem sentiebat dolorem in pelvis regione perpetuumque et saepius sanguine commixtum fluorem album habebat. Examinato vero extrinsecus abdomen, ostendebat sese super ossa pubis, durus panus, quem si pressaveris, dolor sentiebatur. Exploratione autem interna instituta, invenerunt totam pelvem impletam tumore rotundo, magnitudine capitis infantilis, qui durus, densus sese ostendebat atque explorantium digito minime glabram praebuit superficiem, at multas incisuras,

modo leviores modo aliores factasque illis eminentias ostendit. (In prioribus autem experimentis, quibus polypus devinciretur, partim dito, partim instrumento plures ex illis prominentiis a pano separatae erant ac remotae; quae partes, sescunciam vel duas uncias conficientes, densam eamque fibrosam telam ostenderunt). Sin autem altius digitum ad tumorem porrexeris, os uteri, quod valde dilatatum duo ferme digitos patebat, assequi digitumque inter illud polypumque inserere poteras. Ut panus ille omnino insensibilis fuit, ita tota exploratio sine ullo dolore confecta est. Postquam igitur matrona illa tres fere dies, sese itinere faciendo valde infirmatam, satis recreavit, polypi deligatio, ope instrumenti a praceptor cl. inventi, instituta est \*).

- 
- \* ) Instrumentum, quo praceptor noster venerabilis utebatur, a se ipso institutum, modificationem refert Jörgii clarissimi instrumenti. Evidem, veniam a viro illo experimentissimo accepta, hisce in paginis illud in lucem profero simulque quo facilius possit intelligi, depictum propono. Sunt, ut plerumque, fistulae illae, octo fere digitos longae, ex argento fabricatae, curvatae aequalesque, quarum utraque unius et dimidiae lineae diametrum habet atque unam ab anteriore vel superiore extremitate lineam levem habet quasi procursum, ut, quominus parvus ille, sex fere lineas longus cylindrus transgrediatur, impedit. Duo deinde digitos et dodrantem ab inferiore fine ad exteriorem cujusque fistulae partem parvum est idemque oblongum foramen, cuius diameter major duarum est linearum. Utraque deinde fistula proxime inter sese contingit; minor quidem duplex cylindrus

Inaequabilis autem tumoris superficies traductio- ni fili circa polypum ea officit, quod instrumentum in polypi incisuras immersum, digito indice alterius utrius manus saepius erat levandum.

---

eodem est factus pacto, quo apud Jörgium. Major autem duo digitos longus cylindrus propria et sua ratione est constructus; habet enim duas lineas ab inferiore fine duos majores eosque solidos, quinque fere lineas ad utramque partem abundantes quasi procursus, a quibus sursum in utraque parte secundum totum duplicum cylindrum assercula vergunt; tum per medios istos procursum trochlea in cochlearum matrice est instituta, unum fere digitum ac dodrantem longa, cum sexaginta meatibus, quorum tres fere unius sunt lineae, quorumque tres ferme absolutae ac perfectae ad manubrium circumversiones, ut unam lineam brevius fiat ligaturae filum, conficiunt; tricies igitur atque sexies versati unum digitum brevius filum reddunt. Tota trochlea cum superiori annulo manubrioque inferiore duo fere digitos ac dimidium longa est; annulus ipse quidem demi non potest, facile autem, etiam sine cochlea, circum axem suam circumvolvi. In adhibendo apparatu utraque fistula capitalis, flo introducto, per totam longitudinem proxime inter sese coaguntur, ita ut utraque, in latere sita foramina intus versa, sibi invicem sint opposita. Ligatura deinde cognito modo circum polypum circumducitur; parvulus duplex cylindrus, ope furcae notissimae sursum movetur; tum magnus duplex cylindrus in inferiores tubolorum extremitates impunitur; fila autem per foramina, in lateribus facta et nunc in externum latus spectantia, extrahuntur, annulisque alligantur; trochlea deorsum movetur,

Adstrictio fili fortior, ita ut acerrime intensem videretur, non nisi leviorem brevique remittentem aegrotae commoverunt dolorem, qui mox etiam omnino evanuit. Quoties deinde filum ad cochleas laxius esse videbatur, hae rursus, donec illud eo, quo par esset, modo intendetur, torquebantur. Altero jam die admodum profusa spissae, flavae ejusque puri similis puitiae secretio cernebatur, quae multiplices adeo pannos penetravit, quo quidem factum est, ut hi saepius in dies essent mutandi. Cum hacce secrezione malus putridusque odor erat conjunctus, qua de causa saepius injectiones liquo-

---

qua re filum attenditur. (*Sericus funiculus e novem consistit filis, itaque compositus est, ut terna fila connexa, inter se contorta, cera postea circumlinerentur.*) Apparatus deinde ad sumnum ad cochleas usque in genitalibus jacet; totaque igitur pars cum imposito duplice cylindro majori ex illis pendet.—Commoda quae instrumentum hoc praebet, varia sunt: filum tres fere digitos ac dimidium, trochleis versatis, dederunt, sin autem polypi crassitudo major est, quod certe haud ita facile fieri potest, iterum profecto encheiresis possit inchoari; praeterea constrictio admodum paullatim ac pedetentim efficitur, ideoque, si vel minimi sentiuntur dolores, statim potest impediri; porro etiam magnum in modum constrictiōnēm procreare licet, ut in ultima nostra observatione videmus, ubi, quum arctior constrictio esset facta, statim profluvium e polypo destitut, quo accedit, ut praeterea facile secundum circumversionum numerum possit judicari, quanta sit polypi pediculi crassitudo quantique in operatione instituenda facti sint progressus.

ris calcariae chloratae praescribere cogebatur. Tertio autem die interna exploratio, totum instrumentum in polypi molem altissime immersum ostendit, ita ut hac ratione polypi posterior pars in duo tamquam dimidia esset diffissa. Ad septimum usque diem, postquam ligatio est instituta, instrumentum magis magisque trochleas torquendo claudi poterat et fila tum continuo remanebant arcte astricta, quo satis superque declaratum est, polypi pedem non magis potuisse in angustiam adduci. Decimo die tandem instrumentum solutum parvum ostendit frustulum telae cellulosae gangraenosae, filis circumdatum, quod solum erat relicum de parasito, qui in calore madido solitus licuerat. Interna deinde exploratione instituta, densatam turgidamque portionem vaginalē in media pelvis apertura viderunt, interno uteri ore ita patente, ut sine ullo negotio digitum in illud per canalem portionis vaginalis transferre liceret. Per vaginae parietem, sicut in externa exploratione turgidum uteri corpus, rotundus densusque orbis esse videbatur. In universum aegrotae valetudinē etiam, quum instrumentum nondum erat desolutum, admodum est emendata; febris enim omnino evanuerat, atque arteriarum pulsus octoginta tantum ictus intra sexagesimam quamque horae partem ostendebat, cibi appetitus melior erat, placidior altiorque somnus non defuit, viresque omnino fere erant refectae, quae omnia magis etiam sunt deprehensa, quum ligatura esset desoluta: ita ut secretio illa e vagina omnino cessaret, quo facto postridie aegrota e le-

ctulo assurgete, aliquot autem post diebus conclave etiam facile derelinquere poterat. Tum vero leviori chiaue decocio adhibito, magis magisque vires sunt restituae, ita ut, viginti ferme diebus, postquam operatio erat inchoata, domum jam redire valida ac robusta posset; ubi toto corpore, quod morbo admodum erat emollitum, lanto, febribus, initio rheumaticam mox autem nervosam sibi contraxit, quae quidem criticis secretionibus carens tempore progresso magis in dies pulmonum affectionem procreavit, quae sub finem Novembrie mensis vitae ejus finem constituit. Medicus, qui morbum huncce curaverat, permissionem cadaver aperiendi non accepit.

---

II. Agaphia, conjunx militis, 40 fere annos nata, Maio mense 1834, quoniam uterino polypo laborabat, in valetudinarium nostrum obstetricium accepta est. Magnitudo polypi eadem fere erat, quae est infantis capitii. Eadem symptomata aderant, quae fuerant in casu modo commemorato; polypi habitus idem erat, inaequalis nempe atque tumulosus. Ligatura sine ulla difficultate applicata est solutaque nono die, quo simul cum instrumento pars polypi unum ac dimidium pollicis longa amota est. Aergota initio ita invalidit, ut clinicum, fonticulatum tantum cruri applicato, facile derelinquere pos-

set. Attamen brevi mensibus aliquot post chronicā metritis apparuit, quae postea demum potuit tolli, quo accidit, ut illa hieme tantum Dorpatō exire posset.

---

III. Hocce anno clar. P. U. Walter instrumento quodam simili, ex una vero tantum fistula constante, polypum substrinxit tres fere digitos longum duo fere crassum, qui ab anteriōri uteri oris labio profectus ita paulatim de scenderat, ut extrinsecus etiam cerneretur. Simplex, in instrumento illo factus laqueus super polypum promotus circaque pedem ejus ita ad strictus est, ut eadem esset altitudine, qua posterius est oris uteri labium. Aliquot post diebus polypis, propter graveū odorem, infra ligaturam resectus est, tamen nunc quoque duodecimo tandem die solutio est subsequita. Polypus ille examinatus manifesto telam ostendit tendinosam. Suscepta autem postea interna exploratione, vaginalē portionem, praecipue anterius uteri oris labium turgidum tumidumque viderunt, tamen aequabiliter molle carensque duritie; os uteri distorta erat forma atque inaequabili. Matrona illa, postquam convaluit, vigeta alacrisque primo tantum tempore fonticulum ad crū scutum gestabat.

---

IV. Ewa, conjunx militis cuiusdam stationarii, loco, qui Weissenstein nominatur, oriuenda, 40 fere annos nata, quae nunquam adhuc partum ediderat, in valetudinarium nostrum, quoniam uteri scirrho laborare putabatur, recepta est. Ista uteri degeneratio ad eum dicebatur progressa esse gradum, ut matrix, cuius structura omnino commutata, in tumorem luxuriantem degeneraverat, propter magnitudinem suam pondusque vaginam excessisset. Misserrimus erat aegrotae aspectus, nam pallidum erat os, genae omnino flaccidae, oculi omni destituti igne inervesque, atque orbiculis fuscis circumdati; quo summa accessit corporis macies febrisque perpetua dum arteriarum pulsus debilis erat exilisque sed adeo frequens, ut 120 vel 130 etiam ictus intra sexagesimam horae partem numerarentur; quae omnia cum callida atque sicca cute, continua eaque vehementiori siti erant conjuncta, dum alvus soluta erat et laxa neque urinae emissio ullam difficultatem ostendebat. Matrona, ut ipsa professa est, tres jam per annos aegrotaverat, quippe quae saepius in pelvis regione dolores senserit, fluoreque albo laboraverit, interdum etiam metrorrhagias habuerit; hoc tamen in casu aegrota non omnibus destituta fuisse viribus, dicebatur, donec tumor ille, summis comitantibus doloribus, genitalibus egressus, eum, quem antea commemo- ravi, locum oblinuerit. Haec jam tribus hebdomadibus abhinc accidisse, dixit, quo ex tempore tota ipsius valetudo, admodum in deteriorius semper esset mutata. Externa deinde exploratione instituta, super symphysin ossium pubis,

densa eaque rotunda quaedam massa sentiebatur, magnitudine pugni, qui quidem tumor immobilis erat, tactus autem dolorem procreabat. Facta deinde interna exploratione vaginalae, tumorem eundem in pedunculum extensum totam vaginalam implere indeque per uteri os apertum ad uteri usque cavum extendi viderunt. Digitum si altius inseruerunt, cacumen ejus ad uteri usque fundum proferri potuit illumque propter tumoris molem intorsus inversum esse vidit, ita ut ea uteri pars, unde tumor ille initium cepit, in omnes partes esset extensa; labia uteri oris mollia erant, sine ulla morbosa degeneratione digitoque aditum facilem in uteri cavum dederunt. Tumorem si tetigerunt, quin etiam pressaverunt, nullum aegrota dolorem sentiebat, quae, num omniwo et quoniam loco tumor attingeretur, ne dicere quidem potuerit. Inspectio ocularis inter matronae crura magnam eamque nigram ostendebat massam, quam quidem omnes primo aspectu polypum esse cognoverunt. Polypus iste non minor erat, quam infantis caput, densa erat atque carnosa ratione, in parteque inferiori gangraenae speciem prae se ferebat; tota externa polypi superficies, praecipue inferior, gangraena affecta pars, foetidam admodum, aquosam acremque saniem edebat, quae item ex matronae genitalibus, ex illa in hisce tumoris parte emanabat.

Deligatio polypi, postera jam die mane quinto Maji mensis 1836 est suscepita. Laqueus igitur super polypi corpus ad collum usque tractus, indeque instrumenti ligatorii et catheteris muliebris (cui laqueus ille fili opera erat

alligatus) ope usque ad tumoris insertionem in interiorem uteri superficiem sursum ductus est. Ad strictis deinde filis, laqueus primum circum polypi pedem intentus est, tum vero ad utramque trochleam alligatus, posteaque cochleae, nullo omnino aegrotae dolore commoto, sunt detrusae. Quo facto aegrota lecto imposita est instrumentumque pannis subjectis sustentatum. Totum per diem optima erat aegrotae valetudo, quum nulli apparuerint dolores atque ne tum quidem, quum manu pressabatur, uterus ullam sensibilitatem ostenderit. Vesperi autem interna exploratione instituta, profundam senserunt incisuram in polypi pedem, filo factam; color polypi mutatus, magis quam antea fuscus erat nigerque; odor foecior erat, qua de causa injectiones aquae calcariae chloratae adhibitae sunt.

Postquam sexto die mensis Maii, ante meridiem cochleae instrumenti fortius erant intortae, polypi pedem, unum fere digitum infra ligatum, aegrota nullo cruciata dolore nulloque sanguine profuso, Cooperi forifice persecuerunt. Necessaria enim omnino videbatur haec agendi ratio, ut dolor, magis magisque crescens per polypum, dissolutione commutatum, amoveretur. Persecto ita polypo reliqua ejus pars statim attollebatur idque unum ac dimidium pollicem, dum instrumentum tanto altius in genitalia erat insertum. Jam antequam resecaretur polypus, anteriorum pulsus multo erat sedatior ita ut 95 ictus intra sexagesimam quamque horae partem numerarentur. Massa, quae ita erat remota, pondo erat unam libram ac dodraitem, eoque loco, quo erat perfecta, clarissime plura paten-

tia ostendit majoraque vasa, quorum diametru sfera erat lineae. Ad dexterum crus, kali caus tici ope, fonticulus, cuius diametru unius erat pollicis, applicatus est.

In sequentibus diebus aspectus aegrotae eius que valetudo sensim meliores evaserunt atque decimo mensis Maii die optimi erant; quo pulsus arteriarum sedatior, octoginta intra sexagesimam quamque horae partem ostendebat; appetitus non solum, verum etiam facilis ciborum digestio aderant; quibus accessit, quod nulla amplius e vagina cernebatur secretio, quae jam octavo die desierat simulque cum illa foetidus odor. Instrumentum, quod multo altius in matronae genitalia intraverat, nono Maii die solvebatur et laqueus parvam adhuc unum fere pollicem longam comprehendebat partem telae cellulosa gangraenescentis; statim instituta interna exploratione, os uteri tam apertum vide runt, ut digitus index in matris cavum inseri posset; omnes deinde, quae digito attingi poterant partes molles erant, neque aegrotatione aliqua affectae esse videbantur; in instrumento autem, clare, quam alte (sex fere digitos) in genitalibus haeserit, licuit videre.

Aegrota igitur totum fere per diem in lectulo non jacebat atque usa deinde in victu iusto pleniore modo, brevi atque facile convaluit, ita ut decimo die post omnino morbo liberata, applicato tantum ad pedem fonticulo rursus domum revertere posset.

V. Matrona quaedam Maie, ex Estonia oriunda, 46 annos nata, magno firmoque corporis habitu, fuscis capillis, quae semel partum ediderat, neque prius ullo affecta erat morbo. 28 die Augusti m. 1836 in nosocomium nostrum, ut matto quodam, quod unum jam annum sexque menses perduraverat, liberaretur, recepta est; ex quo tempore metrorrhagiis laborabat, quae crebrius, praecipue tempore gravissimae erant; dum interallii item sanguinis profusiones haud quaquam remitebant, ut quamquam multo erant leviores, tamen numquam omnino deessent; simul aderant etiam dolores in sacri ossis regione; qui, infra ibique praecipue saevientes, tum, quam abierunt, gravem quandam ac pressantem in pelvi sensum relinquerunt. Tres fere abhinc menses dolores illi vehementiores sunt faci, atque haud dissimiles erant doloribus ad partum, acribus metrorrhagiis comitantibus. Hoc ex tempore eae, quae adhuc adfuerant, sanguinis profusiones sunt minutae, quippe quae quamquam non parvae erant mensituationis tempore, tamen et hic non tam essent copiosae, quam antea; menstruorum autem tempore elapo, omnino ferre remitterent, dum nequaquam fluor albus desuit, neque it, quos prius descripsi, dolores desierunt. Adspectu aegrota erat miserrimo, cachectico, vultu pallido atque macilente, turgidulae inferiores palpebrae, dum somnus cibique desiderium aderant; alvus quamquam plerumque quotidie est dejecta, tamen proclivior esse videbatur ad obstructionem. Arteriarum pulsus frequentior erat, ita ut 105 vel 110 ictus intra

unum temporis momentum numerarentur. Externa abdominis exploratione instituta, durus tumor in hypogastrio cernebatur, qui paululum in laevam partem dexterum, magnitudine erat pugni virilis, quicunque manu pressatus, sensibilem sese ostendit, et locoquo suo extrinsecus paululum moveri potuit. Interna autem, receptionis die, exploratione facta, introitum atque inferiorem vaginae partem omnino incorrupta viderunt, in media autem pelvo apertura corpus peregrinum magnitudine pugni viri, cuius ratio durior erat, carnosa, neque vero carilaginosa, cuius superficies inaequabilis majores minoresve habuit eminentias. Haec ipsa massa omni, etiam si digito premebatur, carebat sensu, dum circumiacens vaginae pars, digito tacta, magnum sentiebat dolorem. Corpus illud, quod ad formam pertinet, rotundum erat, artius erat in summa parte, circa quam explorantium digitus, uteri os, quo massa ista erat circumdata, inventi; quod tam alte erat positum, ut anterius tantum labium attingi, digitusque inter illud corporusque alienum paululum inseri posset; posterior autem uteri oris labium, tam alte erat positum, ad quod digitus transferri omnino non posset. Quamque explorationem levis sanguinis profusio comitata est. Ad 12. Septembbris mensis diem consulto operatio tumoris, quem polypum esse facile cognoverant, erat dilata, ut, qui medicinae studerent, quotidie semenam illam satis examinare possent. Eodem tempore sonculus ad dextrum crux applicatus est. Tertio decimo tandem die Septembbris polypus est deligitus. Operatio nostri instrumenti ope, celerri-

me perfecta, seminae ipsi nullum commoverat dolorem brevique levia etiam ejusdem vestigia evanuerunt, ita ut 10 momentis post, omni se liberam dolore sentiret. Tribus jam post horis, sicuti vesperi, iterum trochlea torquere perrexerunt, nullo omnino inde dolore prosector. Levior, quae adhuc adfuerat, sanguinis e vagina secrecio vesperi jam omnino desierat. 14. die Septiembris optima erat aegrotae valetudo, quippe quae omnino fere dolore vacaret; dum acer quidam odor et copiosa aquosi ravigue humoris secretio apparuit; febris nullum cernebatur vestigium, cibique desiderium bonum erat. Rursum trochlea est intorta saepiusque repetitae calcariae chlorinicae aquae injectiones. Eadem fere bona conditione sequentes quoque dies praeterierunt; levior, qui hanc mulio post evanuit dolor bis tantum idque in brevius tempus sentiebatur; secretio autem acris ac foetidi vestesque omnino denigrantis humoris eodem fere modo permansit. Interna jam facta exploratio, paululum tantum communitus reperiebatur polypus, neque mollior, quam fuerat antea atque eadem, quae ante operationem fuerat, consistentia. Bis die trochea fortius ita intorta est, ut filum ligatorium continuo intentum atque adstrictum teneretur. Octavo atque nono die tensione remittere nequaquam voluit, ita ut opus non esset trochlea fortius intorquere; decimo demum die polypi pedem filum persecut, quo facto ipse statim parasitus simul cum instrumento, improviso motu matronae e genitalibus excedit. Polypus ille tangentibus densus ac spissus videbatur, diametrum habuit trium polli-

cum, globosus, atque in parte angustiore laqueo illo adhuc erat circumdatus. Foetor major, quem ille circumtulit, acerrimus sane erat, ita ut postea demum aqua calcariae chlorinicae omnino eum tollere liceret.

### L i b r i l a u d a t i .

1. Abulcasis, Chirurg. Oxon. Argent. 1778. Lib. II. sect. LXXI. p. 137.
2. Aëtius Amidenus, Tetrab. latine a Joan. Bapt. Veronensi. Basil. 1534.
3. Ansiaux, Clinique chirurg. Lüttich et Paris 1816, a. d. franz. Chemnitz. 1821.
4. Avicennae, Arab. med. principis: Canon med. Venet. 1608.
5. Baudeloque im: Recueil period. Tome IV. p. 137.
6. Ch. Bell, A syst. of operat. surgery. Lond. 1814 übers. v. Kosmely. Berl. 1815.

7. Blandin, Diction. de Méd. et de Chirurg. pratique. Tome XIII. Paris. 1835.
8. Mme. Boivin et Mr. Dugès, Traité des maladies de l'utérus et de ses annexes. Paris. 1833.
9. Boyer, Traité des malad. chirurg. et des opérations qui leur conviennent. Tome V. Bruxelles. 1828.
10. Burchard, Diss: de polypis uteri nonnulla. Berol. 1832.
11. J. Burns, Grundsätze d. Geburtshülfe, aus d. Engl. v. Kölpin. Stettin. 1820.
12. Campbell, System of Midwifery. London.
13. Carus, Lehrbuch d. Gynäcologie. Thl. I. Leipzig. 1828.
14. Cederschjöld in: Ars Berättelse om Svenska Läkares Sällskapets Arbeten; of G. J. Eckström. Stockholm. 1828.
15. Celsus, de Medicina lib. VII. C. 10.
16. M. J. Chelius, Handbuch d. Chirurgie, Héidelberg., Leipz., Wien. 1833.
17. Ch. M. Clarke, Observations on those diseases of females which are attended by discharge, Lond. 1814 a. d. Engl. v. Heineken, Hannov.
18. Compte rendu des travaux de la société de méd. de Lyon. 1831.
19. S. Cooper, Neuestes Handbuch d. Chirurgie. Weimar. 1821.

20. Deguise im: Nouv. journ. de méd. Tome II. Jul. 1818. Paris.
21. Desault in: Journ. de méd., pharm. et chir. Tome XII. Paris 1787.
22. Dictionnaire des sciences méd. Art. polype.
23. Dietrich, Rede v. einem Vorfall und darauf glücklich unternommener Absetzung des uterus. Regensburg. 1745.
24. Dionis, Cours d'Opérations de Chirurgie. Paris. 1707.
25. Dupuytren, Leçons orales de Clinique chirurg. Tome III. Paris 1833.
26. Espagnet in: Mémoires de l'Acad. de Chir. Tome II. p. 532.
27. Fabricius ab Aquapendente, opera chirurg. Lugd. Batav. 1723.
28. Mc. Farlane in: Glasgow med. Journ. Vol. I. pag. 411.
29. Fourcroy, la médecine éclairée. Tome IV. Paris. 1792.
30. Gooch, an account of the most important diseases peculiar to women London 1829; deutsch: über einige der wichtigsten Krankheiten d. d. Frauen eigenthümlich sind. Weimar. 1830.
31. Gräfe u. Walter Journ. f. Chir. u. Augenheilk. Bd. X. St. 4. 1827. (Rahlf.)


32. Heister, Institut chirurg. Amstelod. 1790. deutsch. Nürnberg 1752.
33. Herbiniaux, Traité sur divers accouchemens laborieux et sur les polypes de la matrice. Brux. 1782.
34. Herves de Chégoïn, Remarques sur la disposition anatom. des polypes de la matrice, sur l'emploi de la ligature et sur les avantages de la résection de ces tumeurs; im: Journ. de Méd. Octobre 1827.
35. Hippocrates, de natura muliebri.
36. Huseland. Journ. d. pract. Arzneik. und Wundärzneik. April 1822. (Fischer.)
37. Jörg, Handbuch. d. Krankheiten des menschlichen Weibes. Leipzig. 1809.
38. — Ueber d. physiol. und pathol. Leben des Weibes. 1831.
39. Kilian, d. rein chirurg. Operationen des Geburshelfers. 3. Bd. ed. 2. Thl. Bonn. 1835.
40. Kleinorts Reportorium IX. Jahrg. 1835. 12. Heft Leipzig. (Arming.)  
— — — — — 1836. 1. Ergänzungsheft (Paillard et Marx) (Tscheppke).
- — — — — 1836. 3. Ergänzungsheft (Lisfranc.)
41. Klingsberg in den: Act. reg. Societ. med. Havn. 1818. Vol. V. p. 51.

42. Lejeune im: Journ. complém. des sciences méd. Tome XXVI. Cah. 104, p. 204. auch in: Neueste Journalistik des Auslandes v. Behrend u. Moldenhawer, Bd. II. S. 234.
43. Levret, Observ. sur la cure radicale de plusieurs polypes de la matrice, de la gorge et du nez. Paris. 1759.
44. — Essai sur l'abus des règles générales et contre les préjugés qui s'opposent aux progrès de l'art des accouchemens. Paris 1766 übers. v. Burdach. Leipzig. 1776.
45. Loder, chir. med. Beobachtungen Bd. I. Weimar. 1794.
46. C. G. Mayer, Diss: de polypis uteri. Berol. 1821.
47. C. Mayer in: med. Zeitung v. Verein f. Heilkunde in Preussen № 3. 1834.
48. M. Mayor, Essai sur les ligaturés en masse. Paris. 1826.
49. F. L. Meissner, Ueber die Polypen in d. verschied. Höhlen des menschl. Körpers. Leipzig 1820.
50. — d. Dislocationen d. Gebärmutter, u. d. Mutterscheide. Thl. 3. Leipzig und Sorau. 1822.
31. — Encyclopädie der med. Wissenschaften. Leipzig. 1830. Art. Polyp.
52. — Forschungen des 19ten Jahrhunderts im

- Gebiet d. Geburtsh., Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten. Leipzig. 1833. Bd. II. u. V.
53. — Ueber schwammige Auswüchse d. weibl. Geschlechtsorg. Denkschrift. Leipzig. 1835.
54. L. J. C. Mende, d. Krankheiten d. Weibes. Berlin. 1811.
55. Μοσχιώνως κερπί των γυναικείων κηδώνων. Moschionis de muliebrum passionibus. Vienn. 1793.
56. C. G. Neumann, v. d. Krankheiten des Menschen. 2. u. 3. Theil. Berlin. 1832 u. 1834.
57. W. Nissen, Diss. de polypis uteri novoque ad eorum ligaturam instrumento. Göttg. 1789.
58. Osiander, Handbuch d. Entbindungskunst. Band I. Abthl. 2. 1818.
59. A. Paraei Opera omnia. Edit. J. Guillemeaux. Paris. 1582.
60. Patrix, Traité sur le Cancer de la matrice et sur les maladies des voies utérines. Paris. 1820.
61. Paulus Aegineta, Opera. lib. VI. cap. 25.
62. Philoxenus, Harmon. Gynaeciorum p. 138.
63. Puzos, Traité des accouchemens. Paris. 1750.
64. A. Richerand, Grundriss d. neuern Wundärzneik. Leipzig. 1823.
65. A. G. Richter, Anfangsgründe d. Wundärzneikunst. Bd. I. Gött. 1799.

66. — Chirurg. Biblioth. Bd. VIII. St. 4.
67. Ringe, Diss. de polyporum uteri therapia. Erford. 1800.
68. Roche et Sanson, Nouveaux éléments de pathologie méd.-chirurg. Tome III. Paris. 1838.
69. Rust, Theoretisch-practisches Handbuch d. Chirurgie. Bd. XIII. Berlin u. Wien. 1834.
70. — Magazin f. d. gesammte Heilkunde. Bd. II. Heft 2. (Hauck) 1817.
- — — — — Bd. IV.
- Heft 3. (Hauck) 1818.
- — — — — Bd. XXIII.
- Heft 2. (Nicolai) 1826.
- — — — — Bd. XXX.
- Heft 2. (Moriacher) 1830.
- — — — — Bd. XLVI.
- Heft 2. (Steinhausen) 1836.
71. Sabatier, de la Médecine opératoire. Tome III. Paris. 1822 — 24.
72. H. v. Sanden, Comment. de prolapsu uteri inversi Regiom. et Lipsiae. 1722.
73. E. Schmidt, Comment. de polyporum extirpatione. Berol. 1829.
74. C. C. Schmitt, Jahrb. d. im- u. ausländ. gesammelten Medicin, N. X. Bd. XII. Heft 1. Leipzig. 1836.

75. B. G. Schreger, *Grundriss d. chirurg. Operationen.*  
Nürnberg 1825.
76. Kl. v. Siebold, *Handbuch z. Erkenntniss u. Heilung  
v. Frauenzimmerkrankheiten.* Frankfurt a. M. 1821.
77. — *Journ. f. Geburtsh. Frauenz.- u. Kinder-  
krankh.* Bd. VII. St. 2. (Steinthal.)  
— — VII. — 3. (Carus.)
78. J. B. Siebold, *Chirón.* Bd. II. Heft 2. (Santer).
79. Simson, *Diss. de polypis uteri horumque resectione.*  
Berol. 1828.
80. Stone, in: *The London med. and physical. Journ.*  
Nov. 1826; auch in: *Frieps Notizen* Bd. XVI.  
Af 338. S. 127; auch in: *Siebold's Journal*  
Bd. VIII. St. 2. S. 641.
81. J. Syme, in: *The Edinburgh med. and surgical  
Journ.* April 1832; auch in: *Frieps Notizen* Af  
737. 1832.
82. Ulsamer, in: *Jahrb. d. philos. med. Gesellsch. z.  
Würzburg.* Bd. I. Heft 1.
83. Véneau, *Nouveaux éléments de l'art opératoire.*  
Brux. 1832.
84. "J. de Vigó," praktisch in *Chirurg. Logd. Batav.* 1516.
85. F. A. Walter, *de polypis uterini* in: *Adnot. acad.*  
Berol. 1786.
86. Zactus Lusitanus, *Práx. med. lib.* II. Obs. LXXXVI.
87. Zang, *blutige heilkunstl. Operationen,* Bd. I. Wien 1817.



Lith d. F. Schlotz.